

753009

Bibl. Francisc. D. Fold.

~~R. n. 10.~~

~~Le h... Adamus~~
Y. I. A. ~~...~~
1771

DEK

[Handwritten musical notation]

hac in Torc... nec ab ista... *[faded text]*

[Decorative flourish]

40'

MANUDUCTIO AD LOGICAM,

sive

DIALECTICA

STUDIOSÆ JUVENTUTI AD
LOGICAM PRÆPARANDÆ...

Conscripta

A. P. PHILIPPO DU TRIEV
E SOCIET. JESU, IN COLLEGIO
Aquicinctino Duaci Philosophiæ Professore primario.

CVM ANNOTATIONIBVS. AD LOCA
quædam difficiliora.

Accedunt scorsim

1. Definitiones, divisiones ac Regulæ ex Logica, & Physica Aristotelis.
2. DISTINCTIONES ET AXIOMATA PHILOSOPHICA A. R. P. Gregorio Reob ejusd. Soc. Professore Philosophiæ in Academia Dilingana explicata.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus ENGELBERTI THEODORI KINCKII,

1690.

Cum Privilegio Sac. Cas. Majestatis.

PRIVILEGIUM CÆSA-
reum & Facultas R.P. Pro-
vincialis.

Ego Infrascriptus Societatis Jesu per provinciam
Rheni inferioris præpositus Provincialis, pote-
testatem mihi à Patre Nostro Thyrso Gonzalez præ-
posito Generali ad id factâ, ENGELBERTO
THEODORO KINGHIO Civi & Bibliopola
Colonienfi, facultatem concedo recudendi Librum
à Patre Philippo du Trieu ejusdem Societatis re-
ligioso conscriptum, legitime antehac censum pro-
batumque, qui inscribitur, Manuductio ad Logicam
sive Dialecticam studiose Juventum ad Logicam præ-
parata: eidemque Jus Cæsarei Privilegii usurpandi
atenus indulgeo, ut ipso invito Librum hunc nemo
deinceps recudere, nemo intra S.R. Imperii fines, &
hæreditarias S. Cæsareæ Majestatis provincias im-
portare, aut venum exponere audeat. In cujus rei fi-
dem has literas manu propria subscriptas, ac officii
mei sigillo munitas dedi Coloniae 6. Septembris
1689.

L. S.



Fridericus Lamberti mppria



AUTHOR

AD LECTOREM.



Usum est iis, quorum intererat, ipsique adeo Veneranda artium Facultati Florentissimæ Academia Duacensis commodum fore, si studiosæ Iuventuti ad Logicam præparandam nova Dialectica scriberetur. In tanta talium librorum multitudine inquires, ita cenluerunt, & jam causam finemque dixi. Etsi enim multi, qui dialectices præcepta hæcenus publico dederunt, recte & laudabiliter scripserint: ad hunc tamen finem non omnino accommodatè Quidam sermonis cultum & dictionis elegantiam sectati, potius hanc artem ad oratoriam referentibus scripserunt, quam ad adolescentibus ad severiores disciplinas præparandis, quibus, omni verborum reiecta luxurie. Dialectica planè & nudè proponi amat. Alii, cum omnia omnino ad hanc disciplinam spectantia complecti vellent, multa necessario prolixè sunt prosecuti, qua Logicam jam ingressis, & omni alia occupatione liberis, utiliter & opportunè proponantur: iis vero, qui ante accessum ad Logicam, inter quotidiana, & continua ferè litterarum humaniorum exercitia, ut harum regionum mimos habet Dialecticam prælibant, prorsus intempestivè. Contra nonnulli brevitatè studiosi, definitiones, regulas, præcepta Dialecticæ nimis jectunè & sine sufficienti explicatione proponunt, cum hic cibus suapte natura austerus in assuetis ingenis etiam benè præmansus (experientia satis didicimus) ad accipiendum difficilis videatur. Alii denique omissis Aristotelis definitionibus ac regulis, in earum locum suas, hoc est, suis verbis conceptas suffecerunt, aut ex versione utriusque Belgicæ Universitati peregrina desumpserunt: quas si adolentes ediscunt, ubi ad Academiam veniunt, alias ex usitata Aristotelis versione memoriæ mandare duplicato labore compelluntur. Quibus (ac similibus de causis factum est, ut in his provinciis complures Rhetoricæ Dialecticæque professores adolentibus ad Logicam transmittendis, jam plures annos, omnibus relictis authoribus hujus disciplinæ, quæ necessaria videbantur præcepta, distanda sibi potius jectè more Academico judicant. Hæc aliaque id genus scribendæ hujus Dialecticæ occasio fuerunt.

Porro quam in ea methodum sequar, sic paucis accipe: Primo quod ad definitiones & regulas Aristotelis atinet, eas ex Argu-

A D L E C T O R E M.

Topoli versione accipio, quam Veneranda Artium Facultas Academiae Duacensis, commodis studiosae Juventutis consultum desiderans in posterum Logicæ Auditoribus Duaci prælegendam decrevit, ut qui hac Dialectica usuri sunt, ad utramvis Belgii Universitatem se conferant, non cogantur mutare. Deinde quanta possum claritate definitiones, regulas, præcepta expono subinde etiam, cum necessarium visum sit, longiuscule nec facile dictionis alicujus huic arti propria, vel obscurioris declarationem prætermitto, memor me tyronibus scribere, quibus nisi singulorum propè verborum vis & energia explicetur, mirum quam confusos & indigestos rerum conceptus effingant animo. Declarationes autem illas quæ inunculis interjectis elicio, tum ad majorem lucem, tum ad exercitanda his velut aculeis adolescentum ingenia, ad quos fines hanc explicationis formam valere plurimum, etiam in ipsis Logicæ Physicæque Auditoribus usu probatum est. Ordinem Aristotelis ferè sequor, nisi subinde instituti ratio methodusque incipientibus accommodatior, quam ubique notissimum specto, ab illo aliquantulum avocet. Quædam prudens omitto, quæ ab aliis copiosè traduntur, non inutilia illa quidem, sed ad præsens institutum non necessaria. Cum enim ut antea dixi, disponendis ad Logicam adolescentibus omnia tradi non possint, delectus habendus est, eaque potius tradenda, quæ & minus spinosa sunt, & magis necessaria. Hinc nihil dico de enuntiationibus Modalibus, exhibitiis de inventione medii, & nonnullis aliis generis ejusdem. Eandem ob causam interdum regulas aliquas, divisiones, proprietates obscuriores & minus utiles prætermitto: multo magis abstineo à gravioribus & subtilioribus quæstionibus, quas ne leviter quidem attingo, probe sciens quàm hoc præposterum, & ab omni probata methodo alienum sit. Quis vir doctus & prudens ferat adolescentibus nondum Logicam ingressis, de universalibus, de entibus rationis, de relationibus & aliis hujusmodi difficillimas proponi quæstiones? Quid est hoc nisi confundere ingenia, pervertere disciplinarum ordinem, fastigium ante fundamentum moliri? Adolescentes, si me audiant dabunt operam, ut primum Dialecticæ præcepta probè intelligant ac firmiter teneant, certè se nihil præclari unquam in superioribus disciplinis effecturos, nisi hoc instrumento tempestivè instructi ad eas accedant. Hæc habui, Lector, quæ de instituti mei ratione præmitterem.

INDEX TITULORUM

TRACTATUS I. DE TERMINO SIMPLICI, PARS I.

Quarundam vocum explicatio, quarum per totam ferè
Dialecticam frequens est usus.

CAP. I. DE Terminorum varietate.	pag. 1.
ART. I. Definitio propositionis sive Enuntiationis, <i>ibid.</i>	
2. Definitio Termini. 4. 3. De Termino syncategorematico, categorematico, & mixto. 5. 4. De Termino simplici & complexo 7. De Termino concreto & abstracto. 8	
6. De termino intrinsecè & extrinsecè denominante 10.	
7. De termino connotativo & absoluto. 11. 8. De Termino denominativo & denominante 13. 9. De Termino univoco & equivoco. 14. 10. De Terminis comparatis. 18	

CAP. II. De varietate prædicatorum.

ART. I. Definitio prædicationis, tum de prædicatione propria & impropria, & hac duplici, causali & concomitativa, <i>ib.</i>	
2. De prædicatione ordinata & inordinata, & hac varia.	
21. 3. De prædicatione intrinseca, extrinseca, essentiali & ac- cidentalibus in quid, in quale 23. 4. De prædic. necessario, con- sistenti, impossibili.	

PARS II.

De Universalibus.

CAP. I. De Univer. & individuo generatim	27
ART. I. Definitio universalis <i>ibid.</i> 2. De individuo.	32
CAP. II. De univ. quæ prædicantur in quid.	33
ART. I. De linea prædicamentali 34. 2. De genere 36. 3. De specie. 37. 4. De generalissimo specialissimo & subalternis 39	
CAP. III. De univ. quæ prædicantur in quale.	40
ART. I. De differentia <i>ib.</i> 2. De proprio. 42. 3. De accidente. 44	

PARS III.

De Categoriis seu prædicamentis.

CAP. I. De prædicamentis in generali.

ART. I. Quid sit Categoria, sive prædicamentum, & quotu- plex. <i>ibid.</i> 2. Quot modis aliquid ponatur in prædicamento 48. 3. Quæ conditiones requirantur, ut terminus ponatur directè in prædicamento. <i>ibid.</i>	
--	--

INDEX.

CAP. II. De singulis prædicamentis in particulari.	50.
ART. I. De substantia. 53 2. De quantitate 54. 3. De Qualitate 57. 4. De ad aliquid. 61. 5. De Actione & passione. 64.	
6. De reliquis prædicamentis.	65
CAP. III. De post prædicamentis.	68.
ART. I. De oppositis ib. 2. De modis prioris & simul.	72
CAP. IV. De proprietatibus prædicamentorum.	75
ART. I. Proprietatis Substantia, ibid 2. Proprietates Quantitatis. 77. 3. Proprietates Qualitatis. 78. 4. Proprietates Ad aliquid 79. 5. Proprietates actionis & passionis.	ib.

TRACTATUS II.

DE ENUNTIATIONE.

PARS I.

De Enuntiationis structura, varietate, proprietatibus.

CAP. I. De partibus Enuntiationis.	81
ART. I. De nomine ib. 2. De verbo.	83
CAP. II. De ipsa enuntiatione, ejusque variet.	84
ART. I. De Oratione, duabus ejus, imperfecta & perfecta & hac multiplici divisione ac subdivisio	85
CAP. III. de quibusdam	88
ART. I. Quid & quotuplex sint opposita ib 2. Leges subalternarum & oppositarum. 90. 3. De Equipollentia.	92

PARS II.

De definiendi dividendique ratione.

CAP. I. De definitione.	84
ART. I. Quid & quotuplex sit definitio.	ib.
2. Qua sint leges definitionis.	98
CAP. II. De divisione.	99
ART. I. Quid & quotuplex divisio.	ib.
2. Qua sint leges divisionis.	101

PARS III.

De suppositione.

CAP. I. De generibus suppositionum.	102
ART. 1. Quid & quotuplex suppositio ib 2. De suppositione materiali 104. 3. De suppositione simplici 105. 4. De suppositione personali.	106

CAP.

TITULORUM

- CAP. II De speciebus suppositionum. 107
 ART. I. De suppositione universali seu distributiva *ibid.* 2.
 De suppositione copulata 110 3. De suppositione determinata *ib.* 4. De suppositione confusa.

TRACTATUS III.

DE SYLLOGISMO.

PARS I.

De principiis internis syllogismi.

- CAP. I. DE principiis materialibus syllogismi. 913
 ART. I. Quid sit argumentatio, & quae ejus partes. *ibid.*
 2. Quotplex sit argumentatio 114 3. Quid sit syllogismus.
 116 4. Quod termini & enuntiationes in syllogis 117

CAP. II. De principiis formalibus syllogismi. 119.

- ART. I. De fig. & modo, eorumque var. generatim 120. 2. Modi prima figura cum exemplis syllog. 112 3. Modi secunda figura cum exemplis syllog. 124. 4. Modi tertia figura cum exemplis syllog. 124

PARS II.

CAP. I. De principiis dirigentibus

- ART. I. Quot & quae sint principia dirig. syllog. *ib.* 2. Regulae generales syllogismorum 128. 3. Regulae speciales prima figura. 130 4. Regulae speciales secunda figura 131. 5. Regulae speciales tertia figura *ibid.*

CAP. II. De principiis perficientibus syllog. 132.

- ART. I. De conversione propositionum 133 2. De divisione syllog. in perfect. & imperfectum 134. 3. De reductione ostensiva syllog. imperfecti ad perfectum 136. 4. De syllog. expository & reductione per expositionem. 138. 5. De reductione per impossibile 140

CAP. III. De speciebus argum. non syllogisticae. 143

- ART. I. De Enthymemate *ib.* 2. De inductione 144. 3. De Exemplo. 145. De Sorite sive concervatione. *ibid.*

TRACTATUS IV.

DE LOCIS,

PARS I.

De locis Dialecticis.

CAP. I. Quidam praambula ad locos Dialecticos 147

- ART. I. Divisio syllogismi in demonstrativum, dialecti-

INDEX TIT:

lam, litigiosum & pseudographum. ib 2. Quando argumentatio non syllogistica & materialis censetur bona 150
8. Quid locus, & quotuplex, & quot modis ab eo argumentemur. 151

CAP. II. De locis internis: 152

ART. I. Locus à definitione. 153. 2. Locus à genere ad speciem. 154. 3. Locus à specie ad genus 155. 4. Locus à toto in modo, 156. 5. Locus à toto integrali. 157. 6. Locus à causa materiali. 158. 7. Locus à causa formali 156. 8. Locus ab inesse ad denominare 160. 9. Locus ab efficiente. 161. 10. Locus à potentia ad actum. 162. 11. Locus à causa finali. 163. 12. Locus ab oppositione 164. 13. Locus à generatione, corruptione, & usu ib 14. Locus ab antecedente & consequente. 165. 15. Locus à communiter accidentibus. 166

CAP. III. De locis externis.

ART. I. Locus ab auctoritate 2. Locus à simili & pari 3. Locus à majori & minori 168. Locus à comparatione. 169. 152. Locus à repugnantibus. 159. 6. Locus ab oppositis: 170

CAP. IV. De locis mediis.

ART. I. Locus à conjugatis & casibus ib. 1. Locus à divisione. 172

PARS II.

De locis sophisticis.

CAP. I. De fallaciis in dictione.

ART. I. Quod sint metae sophisticae ib. 2. De fallacia in communi ejusque divisione. 175. 3. De fallacia aquivocationis, Amphibolia & accentus. 176. 4. De fallacia compositionis & divisionis. 177. 5. De fallacia figurae dictionis. 178

CAP. II. De fallaciis extra dictionem. 179

ART. I. De fallacia accidentis. ibid.

1. De fallacia dicti secundum quid & dicti simpliciter. 180

3. De fallacia ignorationis Elenchi. 181

4. De fallacia petitionis principii. ibid.

5. De fallacia consequentis. ibid.

6. De fallacia non causa ut causa. 182

7. De fallacia plurium interrogationum ut unius. ibid.



Manuctio ad Logicam,

Sive

DIALECTICA

STUDIOSÆ JUVENTUTI
AD LOGICAM PRAE-
PARANDÆ.

LIBRI DIVISIO.

Hoc dialecticæ opusculum quadruplici tractatu completetur, Primus erit de Termino simplici, Secundus de Enuntiatione, Tertius de Syllogismo. Quartus de locis dialecticis & sophisticis.

TRACTATUS

PRIMUS.

De Termino simplici.

Primus hic Tractatus dividetur in tres partes. Prima pars continebit quarundam vocum explanationem, quarum per totam Dialecticam frequentior est usus. Secunda aget de universalibus, eritq; com pendium Introductionis Porphyriana. Tertia Categorias explicabit, & in summam rediget ea, quæ Aristoteles in predicamentis tradit.

TRACTATUS PRIMI
PARS PRIMA.

Quarundam vocum explicatio, quarum per totam fere Dialecticam frequens est usus.

Dividemus hanc partem in duo capita. In priori agetur de Terminorum, qui apud Dialecticos maxime in usu sunt, varietate. In posteriori de varietate predicationum sive Enuntiatione.

CAPUT I.

De Terminorum varietate.

Quatuor in hoc capite traduntur. Primum definitio propositionis & declaratio partium ejus. Secundum, definitio termini. Tertium, varia termini divisio & subdivisio. Quartum singulorum membrorum explicatio. Finis est, ut tyronibus ad sequentia via sternatur, qui defectu cognitionis eorum, quae hic proponuntur, harere solent ad singula; item ut addiscant artem distinguendi varias in uno termino significationes latentes.

ARTICULUS I.

Definitio propositionis sive Enuntiationis.

Propositio sive Enuntiatio est alicujus de aliquo affirmativa negativave oratio: ut, Homo est animal, Aristoteles est Philosophus.

Q. I. Quot & quae in propositione reperiantur? R. Tria, nempe subjectum, praedicatum & copula: ut, Homo est animal, ubi subjectum est homo, praedicatum animal, copula verbum substantivum est.

Sub.

Subiectum est id, quod ordine constructionis præcedit verbum: ut in dicta propositione, *homo est animal*, subiectum est *homo*, quia præcedit verbum substantivum *est*, non solum pronuntiatione, sed etiam constructione. Hic vero, *ardua est ad virtutem via*, subiectum est *via ad virtutem*, quia licet pronuntiatione & situ sequatur copulam, præcedit tamen constructione & sensu,

Prædicatum est id, quod ratione constructionis sequitur verbum: ut in ista eadem propositione, *homo est animal*, prædicatum est *animal*, quia sequitur verbum *est*, non tantum pronuntiatione, sed etiam constructione. Ibi autem, *ardua est ad virtutem via*, prædicatum est *ardua*, quia licet situ præcedat verbum, sequitur tamen sensu.

Copia est verbum conjungens prædicatum cum subiecto: ut in prædictis propositionibus verbum substantivum est. *In semper Cop:*

Q. 3. An illa tria semper ponantur in propositione? R. Semper ponuntur explicitè vel implicitè. Explicitè ponuntur, quando aliquid ordine constructionis post verbum in Nominativo ponitur, ut in allatis exemplis ostensum est. Implicitè ponuntur, quando nihil ordine constructionis post verbum in nominativo ponitur: ut hic: *Deus est; Ioannes studet; Petrus orat Deum*. Dixi in nominativo, quia ù post verbum aliquid ponatur in alio casu, non propterea in tali propositione prædicatum explicitè ponitur: ut ibi: *Petrus orat Deum*: prædicatum enim semper debet in casu convenire cum subiecto. In talibus propositionibus verbum continet in se copulam & prædicatum: unde ut illa duo distinctè appareant, resolvendum est verbum in participium, & verbum

substantivum hoc modo, Deus est existens, Ioannes est
audens, Petrus est orans Deum.

ANNO TATIO.

Propositio apud Ciceronem non significat quamlibet
enuntiationem sed tantum eam, qua in syllogismo pri-
mas tenet. Vnus tamen iam obtinuit, ut pro qualibet e-
nuntiatione etiam posita extra syllogismum usurpetur,
forte quia qualibet enuntiatio apta est primas tenere in
aliquo syllogismo. Definivimus autem hic propositionē
ante terminorum simplicium explicationem, licet ordi-
ne natura deberet illis postponi, quia ad intelligendam
termini definitionem, & qua in hoc tractatu dicentur,
aliqua propositionis cognitio est necessaria. nunc ergo
ad Terminum simplicem procedo.

ARTICULUS II.

Definitio Termini.

Terminus est, in quem resolvitur propo-
sitiō ut prædicatum, & de quo id prædica-
tur: ut, *Homo & Animal*. Id est, prædicatum vel
subjectum propositionis sunt id, in quod ipsa pro-
positio resolvitur. Itaque in omni propositione
sunt duo termini, scilicet prædicatum & sub-
jectum: ut in hac, *homo est animal*, termini sunt *homo*
& *animal*.

Q. 1. Quare subjectum & prædicatum vo-
cantur termini? R. Quia sunt extrema propo-
sitionis, quibus tota propositio concluditur:
extrema enim cuiusque rei vocari solent eius ter-
mini, ut in linea primum & ultimum punctum vo-
cantur termini lineæ. Hinc copula non est termi-
nus, quia non est extremum propositionis, sed inter
extrema ponitur ut cohaereant.

Q. 2. Utrum ergo voces extra enuntiatio-
nem positæ non sunt termini? R. Propriè

non esse, quia quando sunt extra propositionem, non sunt extrema propositionis, quæ ipsam terminant. Vocari tamen solent passim termini, etiam quando extra enuntiationem ponuntur, maxime si sint voces simplices, quia saltem aptæ sunt obtinere in propositione locum extremorum.

ANNOTATIO I.

Quidam hunc loquendi modum reprehendunt, sed frustra contra communem usum pugnatur, quæ penes arbitrium est & ius, & norma loquendi; maxime cum ille usus ratione non careat. Sicut enim apud Grammaticos conjunctiones vocantur conjunctiones, etiam quando non ponuntur in oratione, & nullas e-ius partes conjugunt, quia saltem ex vi significationis suæ aptæ sunt conjungere partes orationis, sic etiam apud Dialectico. voces dici possunt termini, quando extra enuntiationem constituta nihil terminant, quia saltem ex vi significationis suæ aptæ sunt propositionem terminare.

ANNOTATIO II.

Agitur hic tantum de propositione & termino vocali more dialectico. Itaque non est, quod de propositione & termino mentali tyrones laborent. Descriptura res est facilis, cum nihil aliud sit, quam propositionem aliquam vel terminum vocalem exprimens, uti signum.

ARTICULUS III.

De termino syncategorematico, categorematico, & mixto.

Dividitur primo terminus in syncategorematicum, categorematicum, & mixtum.

Terminus Syncategorematicus, est vox,

quæ per se nihil significat; aliis tamen junctâ illis certum significandi modum tribuit; ut, *omnis, nullus, utinam, apud, &c.*

Terminus Categorematicus est vox, quæ per se aliquid significat, nec ullum includit, syncategorema: ut, *homo, animal, album.*

Terminus Mixtus est, qui categorema & syncategorema includit: ut, *nemo*; continet enim significationem harum duarum vocum, *nullus homo.* Item, *nusquam*, id est, *nullo loco*: *semper*, id est, *omni tempore.*

Inter syncategoremata quædam sunt, quæ vulgo dicuntur Signa, quia significant & ostendunt, an vox, cui adjuvantur, sumatur universaliter, an particulariter: ut, *omnis, nullus, aliquis, &c.* Illorum signorum aliqua sunt universalialia: ut, *omnis, quilibet, nullus.* Alia particularia: ut, *aliquis quidam, &c.* Rursum quædam affirmativa: ut, *omnis, aliquis, &c.* Alia negativa: ut, *nullus, non, &c.*

Adverte syncategoremata proprie non posse vocari terminos: quia per se non possunt esse subiectum aut predicatum alicuius propositionis, sed tantum subiecto vel predicato junguntur, cū non sint significativa, sed consignificativa. Itaque deinceps de termino tantū categorematico agetur.

ANNOTATIO.

Categorema proprie est vox, qua de aliquo vel aliquibus dici potest: ut *homo, animal, homines, &c.* Syncategorema est vox, qua de aliquo vel aliquibus dici non potest, ut *non, Sapienter, omnis, &c.* Tales

les sunt omnes casus obliqui, adverbia, prapositions conjunctiones. Pracipue tamen ea vocantur syncategoremata, qua à nullo categoremate derivantur: ut, omnis, nullus, ad, apud, &c. Illa vero, qua derivantur ab aliquo categoremate, ad categoremata reduci non raro solent: ut, hominis, docte, sapienter, &c. Quam loquendi rationem in articulo secuti sumus. Hoc visum est paucis annotare, quia de hac re Dialectici admodum variè loquuntur. Ex hac doctrina potest Logicus tamen formare Regulam, quod in Terminis Syncategorematicis intelligendis non sit immorandum: eo quod illi non possint per se intelligi; sed operam esse ponendam in eo, ut termini categorematici alicujus sensus explicandi prius penetrentur.

ARTICULUS IV.

De termino simplici & complexo.

Dividitur secundò terminus in simplicem & complexum.

Terminus aliquis dicitur simplex tripliciter
1. Voce tantum. 2. Significatione tantum 3.
Voce & significatione simul.

Terminus simplex voce tantum, est unica dictio pluribus æquivalens: ut, *nemo*, æquivalet his duabus, *nullus homo*.

Terminus simplex significatione tantum est, qui componitur quidem ex pluribus dictionibus, sed quæ significatione uni æquivalent: ut, *corpus animatum, quantitas continua, disciplina capax*. Nam Dialectici interdum uruntur duabus vocibus loco unius, propter penuriam vocum simplicium, quæ proinde apud ipsos tam simplices habentur, quam si essent unica dictio.

Terminus simplex voce & significatione

simul, est una dictio simplicis significationis
ut, *homo*.

Totidem modis terminus aliquis dicitur complexus, sive compositus.

Complexus voce tantum est idem, quod simplex significatione tantum: ut: *corpus animatum*.

Complexus significatione tantum idem est, quod simplex voce tantum: ut, *nemo*.

Complexus voce & significatione simul, qui componitur ex pluribus dictionibus, habentibus etiam compositam significationem: ut, *homo albus*.

Q. Quis terminus à Dialecticis absolutè vocatur simplex? R. Qui est simplex significatione, sive sit etiam simplex voce, sive non. Dialectici enim præcipue spectant significationem. Itaque terminus simplex absolutè hic dicendus est, vox aliqua habens simplicem significationem: ut, *Homo; corpus animatum*. De illo tantum in hoc tractatur agitur; nam complexus, qui est oratio, ad secundum tractatum pertinet.

ANNOTATIO.

Similiter absolutè Complexus Terminus vocatur à Dialecticis, qui est complexa significationis: cuius varia exempla sequuntur in sequentibus articulis. Hinc autem Logicus discet, quod Terminus Complexus sit distinguendus, cum propter complexam suam significationem possit simul verum & falsum in propositione sansum efficere.

ARTICULUS V.

De termino concreto & abstracto.

Dividitur tertio terminus generatim sumptus in concretum & abstractum. Terminus Concretus est, qui æquè formam & sub-

subjectum significat : ut, *album*: nam hæc dictio substantivè sumpta significat albedinem, quæ est forma, & rem præditam albedine, quæ dicitur subjectum albedinis. Si enim significationem hujus vocis, *album*, reddere integrè volueris, dices, *res habens albedinem*.

Q. 1. Quid hic vocatur forma? R. Forma hic est omne illud, quod alteri aliquam denominationem seu appellationem tribuit : ut, *albedo*, respectu lactis est forma, quia tribuit ipsi denominationem *albi*: *visio*, seu actus videndi, qui est in oculo, est forma tum respectu oculi, quia tribuit illi denominationem *videntis*, tum respectu parietis vel alterius objecti, quia tribuit illi denominationem *visi*, vel *rei vise*.

Q. 2. Quid verò hic vocatur subjectum? R. Subjectum hic est omne illud, quod ab altero aliquam denominationem seu appellationem suscipit : ut *lac*, respectu albedinis, quia ab illa suscipit denominationem *albi*: *oculus*, respectu visionis, quia ab illa suscipit denominationem *videntis*. Item, *paries*, respectu ejusdem visionis, quia ab illa denominatur *visus*, seu *res visa*.

Notandum verò subjectum hic descriptum vocari subjectum denominationis, si ve etiam sit subjectum inhesionis, si ve non. Quid autem sit subjectum inhesionis, patebit p. 3. hujus tractatus c. 2. a. 1. ubi dicitur, quid sit esse inhesionis. Subjectum denominationis explicabitur artic. sequenti.

Terminus Abstractus est, qui significat solum formam, non autem subjectum : ut ista vox, *albedo*: tantum enim significat albedinem, quæ est forma, non autem rem affectam albedine, quæ est subjectum.

ANNOTATIO.

De concretis substantivis non sint tyrones solliciti, quia eorum cognitio neq; hoc loco commodè tradi potest, neq; ad presens institutum necessaria. Satis superque est, si generatim intelligant omnia nomina substantiva usitata esse concreta: ut, Joannes homo, equus, animal, arbor, &c. item adjectiva nomina cum pro substantivo sumuntur, uti norunt Grammatici quibusdam maxime substantivis. Abstracta vero respondentia fingenda esse: ut à Joanne fingitur Joanneitas, sicut Cicerò à Lentulo finxit Lentuleitas, ab homine verò usitatè deducitur humanitas, & ab equo equinitas, ab animali animalitas, &c. Ex hujus articuli doctrina licebit discere, quid sit Materialiter, item Formaliter aut Concretè sumi terminum.

ARTICULUS IV.

De termino intrinsecè & extrinsecè denominãte.

Subdividitur terminus concretus in terminum denominantem intrinsecè, & denominantem extrinsecè.

Terminus concretus denominans intrinsecè est, qui tribuitur ei, in quo est forma per ipsum significata: ut, *album*: nam iste terminus tribuitur lacti, nivì, papyro, cygno, &c. in quibus verè est forma per ipsum significata, nempe albedo.

Terminus Concretus extrinsecè denominans est, qui tribuitur ei, in quo non est forma per ipsum significata: ut, *videri*, vel *visum esse*. Nam iste terminus tribuitur parieti, in quo non est forma per ipsum significata, scilicet visio: hæc enim est in oculo, non pariete, vel quavis alia re visa. Talia sunt omnia verba & participia passiva significantia actiones animæ: ut, *audiri*, *intel-*

selligi, amari, desiderari, auditum, intellectum, amatum, desideratum. Nam ut ex uno colligas cætera, dicitur amari pecunia, cum tamen amor non sit in pecunia, sed in animo illam amantis. Item pleraque verba & participia activa significantia alias factio- nes: ut, *illuminans, calefaciens, &c.* dicitur verbi gra- tia, Sol illuminans, cum tamen illuminatio non sit in Sole, sed in aëre. Verùm ista hoc loco enuclea- tius tradi nec debent, nec possunt.

ANNOTATIO.

Ex hac doctrina licebit cavere multas Fallacias, qua committi solent per extrinsecè denominantes terminos; si apprehendantur illi uti intrinsecè denominantes.

ARTICULUS VII.

De termino connotativo & absoluto.

Dividitur quarto terminus generaliter acceptus in connotativum & absolu- tum.

Terminus Connotativus est, qui signifi- cat formam quasi adjacentem: ut *album, colo- ratum, dulce, &c.*

Q. 1. Quid est significare formam quasi adjacentem? R. Est significare adjectivè. Itaque sola adjectiva sunt connotativa; sicut exempla jam adducta, vel quæ significant per modum adje- ctivorum: ut, *dominus, servus, pater, filius, &c.*

Q. 2. Quotuplex significatum habet ter- minus connotativus? R. Duplex, materiale & formale. Significatum materiale est sub- jectum formæ nomine connotativo expres- sæ. Significatum formale est forma nomine connotativo expressa: ut hic terminus, *album*

ut

ut antea dictum est, significat duo, scilicet subiectum, quod est res habens albedinem, nempe lac vel paries, & formam, quæ est albedo. Res habens albedinem, nimirum lac vel paries, est significatum materiale, albedo vero significatum formale.

Q. 3. An terminus connotativus eodem modo significet suum significatum materiale & formale? R. non eodem modo, nam unum significatum significatur in recto, alterum autem in obliquo. Illud vero dicitur significari in recto, quod in explicatione termini significantis ponitur in nominativo casu. Illud dicitur significari in obliquo, quod in explicatione termini significantis ponitur in casu obliquo: ut si velis explicare significationem huius termini connotativi, *album*, dices, *album est res habens albedinẽ*, vel *affecta albedine*, nimirum lac, vel paries, vel nix, &c. *Ubi res*, quæ est subiectum albedinis, ponitur in nominativo; *albedo* autem, quæ est forma, ponitur in obliquo, videlicet in accusativo, vel ablativo. *In idem redibis si ad explicandam illam differentiam dicas, in explicatione termini connotativi significatum materiale, vel potius nomen quo illud exprimitur, cum nomine connotativo, facere concordantiam, & ideo semper in casu cum illo convenire: formam vero, vel potius nomen, quo illa exprimitur, minime, ut patet ex declaratione superiori.*

Q. 4. Quid est igitur connotare, & quid connotatum? R. Colligitur utrumque ex jam dictis. Connotare enim est præter id, quod in recto significatur, simul aliquid in obliquo importare. Connotatum vero est id,

id, quod significatur in obliquo, supra id, quod importatur in recto: v.g. ille terminus, *pater*, dicitur connotare filium, & filius dicitur esse illius connotatum. Si enim quæeratur, quid sit pater dicitur, *est is qui genuit filium*, Ubi vides aliquid significari in recto, nempe eum, qui genuit, & præter illum significari filium, sed in obliquo.

Terminus absolutus est, qui non significat formam quasi adjacentem, id est, non adjectivè: ut, *albedo, lapis, homo, animal, &c.*

ANNOTATIO.

Ex hac doctrina discitur, quid sit terminus sumè Connotativè vel absolutè, quia idem terminus aliquis potest utrovis modo in significando usurpari.

ARTICULUS VIII.

De termino Denominativo & Denominante.

Dividitur quintò terminus in denominantem & denominativum.

Terminus Denominativus idem est, quod connotativus. Hujus itaque definitio ex superiori articulo repetatur.

Terminus Denominans est abstractum respondens termino denominativo seu connotativo: ut, *album*, est denominativum *albedo*, denominans.

Denominativum est triplex, voce tantum & significatione tantum, voce & significatione simul.

Denominativum voce tantum est, quod cum aliquo abstracto convenit initio dictionis, sed ab eo differt formali significatione: ut, *somnolentus*, respectu hujus abstracti *somnus*: nam *somnus*, significat quietem naturalem, *somnolentus* autem ut plurimum significat vitium socordix.

De

Denominativum significatione tantū est, quod cum aliquo abstracto convenit tantum significatione, non voce: ut, *probus*, respectu hujus nominis *virtus*.

Denominativum voce & significatione simul est, quod cum aliquo abstracto convenit significatione & initio dictionis, sed finali terminatione distinguitur: ut, *album*; respectu hujus abstracti, *albedo*.

Talia solum denominativa definiuntur ab Aristotele in Antepredicamentis his verbis:

Denominativa sunt, quæ ab aliquo nominis appellationem habent solo differentia casu. *Ab aliquo*, scilicet abstracto: *Solo differentia casu*, id est, finali terminatione discrepantia: *Nominis appellationem habent*, id est, derivantur.

Denominativo & denominanti respondet denominatum: est autem *Denominatum* subjectum formæ, de quo vox denominativa accidentaliter dicitur; ut, *corvus* est *denominatum nigri*, *cygnus albi*. Nigredo denominans *nigri*, *utraque vero simul nempe nigrum & nigredo* sunt denominativa.

ARTICULUS IX.

De termino univoco & equivoco.

Dividitur sexto terminus generaliter acceptus in Univocum & Æquivocum.

Terminus Univocus est, qui pluribus tribuitur in eadem significatione: ut ille terminus, *homo* comparatione Joannis & Petri: illis enim in eadem significatione tribuitur.

Q. 1. Unde conosci potest aliquem terminum pluribus tribui in eadem significatione?

tionem? R. Si ei semper, in mente respondeat idem conceptus id est, si eius significatum eodem semper modo concipiamus: v. g. dum *homo* tribuitur Johanni & Petro, idem conceptus in mente formatur, & eodem modo significatum illius vocis concipitur.

Q. 2. Unde verò cognoscitur eundem semper conceptum termino respondere, seu ejus significatum eodem semper modo concipi? Si eadem explicatio semper illi possit accommodari? v. g. *homo*, dum tribuitur Joanni, Petro, Paulo, & semper explicatur per *animul rationale*, cur enim Joannes est homo? quia est animal rationale, & cur Petrus etiam est homo? quia est animal rationale, &c. Hoc autem semper accidit, quando nomen imponitur pluribus propter eandem rationem in illis inventam, & expressam ipso nomine, ut patet per exemplum adductum.

Terminus univocus dicitur à Dialecticis univocum univocans, hoc enim idem est ac nomen commune, quod pluribus in eadem significatione tribuitur.

Huic respondent univoca univocata, quæ sunt ipsæ res plures, quibus aliquod nomen in eadem significatione tribuitur: ut, *Joannes & Petrus*, respectu nominis *homo*.

Et hæc solum in ante prædicamentis ab Aristotele definiuntur his verbis:

Univoca dicuntur, quorum & nomen commune est, & ratio substantiæ nomini accommodata eadem est: Id est, sunt entia plura: quibus tribuitur idem nomen, ita ut definitio seu explicatio nominis semper etiam maneat eadem.

Terminus *Æquivocus* est, qui pluribus tribuitur indiffera significatione, ut nomen *canis*, comparatione canis domestici, & constellationis, quæ illo etiam nomine appellatur: *gallus*, respectu galli gallinæci, & hominis galli: *homo*, respectu hominis veri & picti.

Q. 2. Unde potest cognosci aliquem terminum tribui pluribus in diversa significatione? R. Ex signis contrariis, videlicet, si ei respondeat in mente varius conceptus, id est, si ejus significata vario modo concipiantur, quod fit, quando diversæ explicationes uni termino debent adhiberi, ut si tribuas illud nomen, *canis* animali domestico & constellationi, non formabis utrobique eundem conceptum, sed variè significatū illius vocis concipies, & diversas ejus explicationes adferes. Nam si explices illum terminum dum tribuitur animali domestico, dices canem esse animal latrans: si verò eundem explices, dum tribuitur constellationi, dices canem esse seriem aliquot stellarum. Similiter, *homo*, dum tribuitur homini vero, explicatur esse animal rationale: dum vero tribuitur homini picto, explicatur esse figura & imago hominis, &c. Et ratio est, quia illud nomen imponitur illis pluribus propter diversas rationes.

Terminus *Æquivocus* dividitur in *æquivocum purè*, & *analogum*.

Terminus *Æquivocus Purè* est, qui plura æquè primò significat: ut, *canis*, respectu canis domestici & cœlestis: *gallus*, respectu galli gallinæci, & hominis Galli.

Terminus *Analogus* est, qui plura non æquè primò significat, sed unum primario,

alte-

alternum secundo: ut *homo* respectu hominis veri & picti: ista enim vox, *homo*, primario & proprie significat hominem verum; secundo autem & improprie hominem pictum.

Terminus æquivocus à Dialecticis dicitur æquivocum æquivocans: hoc enim idem est ac nomen commune, quod pluribus in diversa significatione tribuitur:

Huic respondent æquivoca æquivocata; quæ sunt ipsæ res plures, quibus aliquod nomen in diversa significatione tribuitur; ut, *canis domesticus & cælestis*, respectu nominis *canis*; *Gallus Gallinaceus & Gallus homo*, respectu nominis *Gallus*.

Hæc æquivocata definiuntur ab Aristotele in Ante-prædicamentis his verbis.

Æquivoca sunt, quorum nomen solum commune est, ratio vero substantiæ nomini accommodata diversa. Id est, sunt entia plura quibus tribuitur idem nomen, sed ita ut definitio & explicatio nominis sit diversa. Quod si illæ res plures, æque primo significantur, dicuntur simpliciter æquivocata, qualia sunt duo exempla jam proposita: si vero una significetur primario, altera secundo, dicuntur Analogata: ut, *homo verus & pictus*, respectu nominis *homo*.

A N N O T A T I O.

Varia sunt æquivocorum jam explicatorum subdivisiones apud Philosophos; sed illa Dialectica tyroni, & ad institutum nostrum nullo modo sunt necessaria: Ideo illas præmittendas judicamus. Scimus etiam univoca & æquivoca in Antepredicamentis ab Aristotele strictius sumi, quam nos hic ea sumpserimus, scilicet pro iis, quibus idem nomen in eadem vel diversa significatione essentialiter tribuitur. Sed cum

illa restrictio ad finem nostrum non conducat, ipsius Aristotelis definitiones generalius ut optimè possint, interpretari sumus. Hinc discimus cautè discernendum esse, num Terminus aliquis conveniat multis univocè, an æquivocè, ad cavendas fallacias. Tr. 4. p. 2. c. 5. Art. 3.

ARTICULUS X.

De Terminis comparatis.

SEPTIMA termini generatim sumpti divisio desumi potest ex comparatione unius termini cū altero. Quatuor enim modis ad se invicem termini comparari possunt. 1. ut repugnantes. 2. ut convertibiles. 3. ut magis & minus communes. 4. ut excedentes & excessi.

Termini repugnantes sunt, qui de se invicem universaliter negari possunt: ut *homo* & *brutum*: nullus enim homo est brutum, & nullum brutum est homo.

Termini convertibiles sunt, qui universaliter de se invicem affirmari possunt: ut, *homo* & *risibilis*, quia omnis homo est risibilis, & omne risibile est homo.

Termini illi habent se ut magis & minus communes, quorum unus potest de altero universaliter affirmari, sed non contra: Sic *animal* est terminus magis communis quàm *homo*; quia omnis homo est animal, sed non omne animal est homo.

Termini illi habent se ut excedentes & excessi, quorum neuter de altero potest universaliter affirmari vel negari, sed tantum particulariter: ut, *homo* & *albus*. Dicuntur vero tales termini excedentes & excessi, quia se mutuo

excedunt: unus enim de aliquo affirmari potest, de quo alter non potest affirmari: & vice versa hic posterior potest de aliquo affirmari, de quo prior non potest: denique de uno & eodem verè affirmantur: v.g. termini jam propositi excedunt se mutuo, quia datur homo, qui non sit albus, ut Æthiops; datur album, quod non sit homo, ut cygnus; datur quod sit utrumque, ut Belga.

A N N O T A T I O.

Ex hac doctrina etiam sumuntur modi quidam distinguendi Terminos secundum suas significationes & usum diversum: convertibiliter & non convertibiliter &c. Atque hæ sunt potissima terminorum apud Dialecticos usitata diversitates, etsi & alia cōplures sint; verū nobis non necessaria, & studio brevitatis omittenda.

C A P U T II.

IN hoc capite, ut in precedenti, tria proponentur. 1. prædicationis in genere definitio. 2. variè ipsius divisio & subdivisio. 3. singulorum membrorum explicatio. Finis est, ut tyrones statim initio rudem saltem notitiam habeant variarum prædicationum, sine qua definitiones universalium, quæ secunda huius tractatus parte traduntur, nequeunt intelligi.

A R T I C U L U S I.

Definitio prædicationis, cum de prædicatione propria & impropria, & hac duplici casali & consomitativa.

PRædicatio est affirmatio unius de altero: ut, homo est animal. Dico affirmatio, quia etsi negatio possit aliquo modo dici prædicatio, ordinariè tamen nomine prædicationis solet à Dialecticis intelligi affirmatio.

Quibus partibus constet prædicatio, vide supra cap. I. art. I. ubi traduntur partes propositionis: prædicatio enim idem est, quod propositio affirmativa.

Prædicationum alia est propria, alia impropria.

Prædicatio propria est, cujus omnes partes sumuntur in propria significatione: ut, *homo est animal.*

Prædicatio impropria est, cujus aliqua pars sumitur in impropria significatione: ut, *prata rident*: ubi verbum, *rident*, sumitur in impropria & metaphorica significatione.

Huc pertinent omnes Tropicae locutiones, quas tamen dialecticus Rhetori reliquit, duas tantum ejus species usurpans, in quibus copula sumitur improprie.

Prædicatio itaque impropria apud dialecticos duplex est, alia causalis, alia concomitativa.

Prædicatio Causalis est, in qua effectus de sua causa, vel causa de suo effectu in recto prædicatur ut hæc: *præsentia solis est dies*, nam dies est effectus præsentia solis lucentis: Item hæc, *dies est præsentia solis*, sicut enim in priori effectus de causa, ita in hac causa de effectu prædicatur.

Q. I. Ostende copulam in prædicatione causalis sumi improprie. R. Quia verbum substantivum, est, proprie significat identitatem rei per subjectum & prædicatum in recto significata ut cum dico paries est albus, significo parietem & rem affectam albedine esse eandem rem: At vero in propositione causali verbum substantivum non significat illam identitatem, sed processum unius ab altero, ut cum dico: præsentia solis est dies

dies, non denoto præsentiam solis esse proprie ipsum diem sed efficere diem dum præsentiam sequitur lucere.

Prædicatio Concomitativa est, in qua unum de altero affirmatur in recto, ideo tantum quod necessario cum illo existat: ut, generatio unius est corruptio alterius, generatio enim non est idem quod corruptio, sed tantum eam necessario comitatur:

Q. 2. Quare in utraque definitione additur illa particula, in recto? R. Quia si prædicatio cause ad effectum, vel contra: item si prædicatio unius concomitantium de altero fiat in obliquo tantum non erit prædicatio impropria: ut si dicam, præsentia solis efficit diem, generatio comitatur corruptionem copula enim hic non sumitur improprie.

ARTICULUS II.

De prædicatione ordinata & inordinata,
& hac varia.

Dividitur Prædicatio propria in duas species, ordinatam, & inordinatam.

Prædicatio Ordinata est, in qua id prædicatur, quod aptius est prædicari: ut, homo est animal, homo est risibilis.

Q. I. Quænam aptiora sunt prædicari quam subjici? R. Duo potissimum, scilicet superius sive generalius comparatione sui inferioris: ut, animal, comparatione hominis & connotativum comparatione sui absoluti; ut risibile, comparatione hominis.

Prædicatio Inordinata est , in qua non prædicatur id , quod est aptius prædicari : ut hæc *animal est homo: risibile est flebile.*

Prædicatio inordinata est duplex, contra ordinem & præter ordinem.

Prædicatio inordinata contra ordinem est, in qua id prædicatur, quod aptius est subjici : ut, *animal est homo; risibile est homo*

Q. 2. Quot modis fit prædicatio inordinata contra ordinem? R. Duobus præcipue modis; uno, si inferius prædicetur de suo superiori : ut, *animal est homo* : altero, si absolutum prædicetur de connotativo: ut *risibile est homo.* Ex quo patet, has prædisationes fieri ordinatas sola transpositione terminorum.

Prædicatio inordinata præter ordinem est, in qua neutrum aptius est subjici vel prædicari quàm alterum : ut *album est dulce, ensis est gladius.*

Prædicatio inordinata præter ordinem est duplex, prædicatio identica, & prædicatio per accidens.

Prædicatio Identica est , cujus subjectum & prædicatum sunt ejusdem prorsus significationis: ut, *homo est homo, ensis est gladius.*

Prædicatio per accidens est , in qua unus terminus connotativus de altero etiam connotativo prædicatur , ratione tantum materialis significati , in quo eorum formalia significata simul reperiuntur: ut, *album est dulce;* nam album dicitur dulce ratione tantum lactis, vel alterius subjecti, in quo & albedo & dulcedo, quæ sunt formalia significata, reperiuntur.

Q. 3. Quare additur in definitione particula exclu-

exclusiva. TANTUM? Quia si formalia significata habent connexionem aliquam per se, siue ratione sui, & non tantum ratione materialis significati, predicatio unius connotativi de altero non erit predicatio per accidens. Contingere id potest duobus casibus. Unus est si abstractum unius connotativi possit predicari de abstracto alterius in re-cto, unde haec non est predicatio per accidens, album est coloratum, quia licet dicere in abstracto, albedo est color. Alter casus est si forma per unum connotativum significata sit causa formae per alterum significata, ut similem aliquam connexionem cum illa habeat, unde haec etiam non est predicatio per accidens, iustus est honorandus, quia iustitia est causa honoris. Tunc ergo demum unus terminus connotativus praedicatur de altero per accidens, quando formae per illos significatae tales sunt, ut nec de se invicem praedicari possint in abstracto, nec una sit causa alterius, sed per accidens solum contingit, ut in eodem reperiantur.

ARTICULUS III.

De predicatione intrinseca & extrinseca essentiali & accidentali, in quid & in quale.

Prædicatio ordinata duplex est, una intrinseca, altera extrinseca.

Prædicatio Intrinseca est, cujus formale prædicatum est in subiecto: ut, homo est albus; nam albedo, quæ est formale prædicatum, id est, formale significatum prædicati, est in subiecto illo de quo dicitur, nempe homine.

Prædicatio Extrinseca est , cujus formale prædicatum non est in subjecto : ut *paries videtur*; nam visio, quæ est formale prædicatum, non est in subjecto, scilicet pariete.

Tales sunt omnes prædicationes constantes prædicato, quod sit concretum extrinsecè denominans, de quo dictum est cap. I. art. 6.

Prædicatio intrinseca subdividitur in essentialem & accidentalem.

Prædicatio essentialis est cujus totum prædicatum est de essentia subjecti ut, *homo est animal; homo est animatus.*

Q. 1. Quid dicitur esse de essentia alterius?

R. Illud, sine quo alterius natura nec esse, nec concipi potest: ut, *anima* est de essentia hominis, quia homo nec esse, nec concipi potest physice sine anima. Item *animal* dicitur homini essentielle: quia non potest aliquid esse aut Logice concipi esse homo, quin sit & concipiatur esse animal.

Q. 2. Quare dicitur in definitione, TOTUM PRÆDICATUM debere esse de essentia subjecti? R. Quia si aliqua pars prædicati non pertineat ad essentiam subjecti, non erit prædicatio essentialis, etiam si alia pars sit de essentia subjecti: ut hæc prædicatio, *Ioannes est homo albus*, non est essentialis, quia *album* non est de essentia Joannis, licet *homo* sit de essentia illius.

Prædicatio Accidentalisis est, cujus prædicatum vel nulla ex parte, vel non totum est de essentia subjecti: ut, *Ioannes est albus*; vel *Ioannes est homo albus.*

Prædicatio accidentalisis aliter solet vocari denominativa, quia in ea denominativum prædicat-

dicatur de nominativo, ut patet ex allatis exemplis.

Prædicatio intrinseca rursus est duplex, in quid, & in quale.

Prædicatio in Quid sive Quidditativa est, qua apte respondetur quærenti, Quid sit res, ut *homo est animal*.

Prædicatio in quale est, qua aptè respondetur quærenti, qualis sit res ut, *homo rationalis*; quærenti enim qualis sit homo, aptè respondetur; *homo est rationalis*. Item istæ, *Ioannes est albus; est probus, est doctus*, &c nam quærenti qualis sit Joannes, convenienter respondetur, *quod sit albus; probus, doctus*, &c.

Prædicatio in quale est duplex, una in Quale essentiali, altera in Quale accidentali.

Prædicatio in quale essentiali (quam vocant prædicationem in Quale Quid) est, qua aptè respondetur quærenti qualis sit res secundum essentialitatem: ut, *homo est rationalis; brutum est irrationale*: nam si quæriatur qualis sit homo secundum essentialitatem suam, aptè respondebitur, quod sit rationalis, & si quale sit brutum secundum essentialitatem suam rectè dicetur esse irrationale, quia *rationale* est de essentialitate hominis, & *irrationale* de essentialitate bruti.

Prædicatio in Quale accidentali (quam vocant simpliciter prædicationem in Quale) est, qua apte respondetur quærenti qualis sit res secundum accidentia, vel proprietates: ut *homo est risibilis, flebilis, albus, doctus*, &c.

A N N O T A T I O.

Hanc distinctionem essentialis & accidentalis non admittit prædicatio in quid, quia omnis prædicatio in quid est essentialis.

TRACTATUS IV.

impossibili.

Dividitur rursus prædicatio generatim sumpta ratione materiæ in necessariam, contingentem, & impossibilem.

Prædicatio Necessaria est, quæ sic est vera, ut non possit esse falsa: ut, *homo est animal rationale, risibile*. Illud ergò dicitur prædicari necessariò de aliquo, quod nunquam verè potest negari de aliquo: *animal, rationale, risibile de homine*.

Prædicatio Contingens est, quæ potest esse vera & falsa: ut, *Ioannes est probus*. Unde illud dicitur de altero contingenter prædicari, quod aliquando potest negari de illo: ut, *esse probum, de Joanne*.

Prædicatio impossibilis est, quæ sic est falsa, ut non possit esse vera: ut, *homo est brutum, album est nigrum*.

ANNOTATIO.

Hujus capituli doctrina de varietate prædicationum, serviet tironibus ad cognoscendum discrimen variæ copulæ quæ est inter prædicatum & subjectum in propositionibus, non enim copulæ Est a quæ firmam connexionem importat in una propositione, atque in alia.

TRACTATUS PRIMI

PARS PRIMA

De Universalibus.

Dividetur hæc pars in tria capita. In 1. agitur de universali & individuo generatim. In 2. speciatim de iis Universalibus, quæ prædicantur in Quid In 3. de iis, quæ prædicantur in Quale.

CAPUT I.

De Universali & individuo generatim.

In hoc capite duo explicantur, definitio universalis, & definitio individui: prius enim hæc intelligenda sunt, quam singulorum universalium definitiones, quas ad intelligendum Aristotelem tradit Porphyrius, explicentur.

ARTICULUS I.

Definitio Universalis.

Una ex præcipuis divisionibus termini est, qua dividitur in universalem, sive communem: ut, homo; & singularem sive individuum: ut: Ioannes. Hæc est divisio, cujus gratia pleræque aliæ supra traditæ sunt, ut patebit ex sequentibus.

Universale est, quod de multis aptum est prædicari. Id est, Universale est terminus simplex, qui, quantum est ex vi significationis quam habet, aptus est verè affirmari de pluribus univoce ac divisim, & (si mentem Porphyrii spectes) intrinsecè; idque ratione rei veræ & unius naturæ: ut: Homo respectu Joannis & Petri; potest enim dici: Ioannes est homo: Petrus est homo.

Vide dicta parte 1. cap. 1. art. 4. Hinc excluduntur orationes: ut animal rationale, & vocabula simplicia voce tantum: ut, nemo, de quibus ibidem dictum est.

Q. I. Quare additur illa pars, quantum est ex vi significationis? R. Quia sol, luna, & similes termini sunt universales, licet jam non possint prædicari de pluribus actu, cum definiat illa plura, de quibus prædicentur:

satis enim est, quod talem habeant significationem, ratione cuius possent prædicari de pluribus, si essent plures lunæ aut soles, quod non repugnat divinæ potentia. Sic iste terminus *homo*, esset universalis, etiamsi in rerum natura esset unicus homo.

Q. 2. Quare additur, ex vi significationis, quam habet, non verò, quam habere potest?
R. Additur illa pars ad excludendum individuum: nam individuum, verbi gratia, *Petrus*, licet spectata significatione, quam nunc ab hominibus accepit, prædicari tantum possit de uno; posset tamè accipere significationem, qua comprehenderet omnes, imo omnia animalia, & quidquid est in rerum natura, quia nimirum significatio vocum est arbitraria, & à voluntate hominum pendens.

A N N O T A T I O.

Est hic sermo de Individuo in obvia significatione, sive ut philosophi loquuntur, de Individuo primo intentionaliter accepto, nam de eodem secundo intentionaliter accepto speculationes non congruunt Tironibus qui hic instituuntur.

Q. 3. Quare dicitur, aptus est verè prædicari, & nō potius, verè prædicatur? R. Quia non est necesse, ut universale prædicetur actu, sed satis est, quod aptum sit prædicari: uti fit dum ponitur extra enunciationem, aut in eo tenet locum subjecti.

Q. 4. Quare dicitur, verè affirmari? R. Dicitur VERÈ: quia individuum potest etiam falso de multis affirmari. Dicitur quoque AFFIRMARI, non vero negari, quia certum etiam est, individuum de multis verè negari posse.

Eadem de causa additur, *de pluribus*, ut nempe excludatur individuum, quod de uno tantum affirmari potest.

Q. 5. Quæ dicuntur hic plura? R. plura hic dicuntur. quæ in ratione per terminum
fi-

significata multitudinem habent : id est , de quibus simul sumptis affirmari potest terminus in plurali numero. Hinc excluditur *Deus*, respectu trium divinarum personarum, quia etiam si unaquæquæ illarum sit *Deus* , ipsæ tamen simul sumptæ, non sunt tres *Dii* (sicut *Joannes*, *Petrus*, *Paulus*, sunt tres homines) sed unus *Deus*.

Q. 6. Quid est affirmari univoce? R. Est affirmari in eadem significatione : hinc excluditur individuum , v. g. *Ioannes* : nam hic terminus potest quidem affirmari de pluribus, iis nimirum omnibus, quibus illud nomen impositum est; sed nõ in eadem significatione, ut infra *Planius* ostendetur. Excluduntur item per hanc partem termini commune æquivoci relati ad sua æquivocata ; ut *sanis*, ad domesticum & cælestem.

De æquivocis & univocis dictum est parte 1. cap.
1. art. 9.

Q. 7. Quid est affirmari divisim; R. Est affirmari de singulis. Id est, in diversis propositionibus : sic *animal*, affirmatur de homine & bruto, dum dicitur, *homo est animal*, & *brutum est animal*. Per hanc partem rejiciuntur penitus ab universalis definitione nomina singularia collectiva, ut, *hic populus*, puta *Leodiensis*; licet enim *hic populus* *Leodiensis* prædicetur de multis hominibus, qui unum populum constituunt, non tamen divisim, quia non potest dici, *hic homo est hic populus*, & *iste homo est hic populus* &c; sed tantum collectivim hoc modo *hic homo*, & *iste*, & *ille*, & *reliqui simul sumpti sunt hic populus*. Rejiciuntur etiam nomina eadem collectiva licet communiter accipiantur respectu eorū simul, quorum collectionem significant: ut, respectu hominū *Leodensium*, qui conflant istum populum, ob eandem rationem Dixi, *respectu eorum, quorum collectionem significant*: quia respectu plurium collectionum

non debent excludi per hanc partem (sed per ultimam de qua q. 10. dicitur) dum de pluribus collectionibus divisim affirmantur: ut, *populus*, de hoc & illo populo Leodiensi nempe & Romano.

Q. 8. Quid est affirmari intrinsecè? R. Est affirmari ratione rei in subiecto existentis: ut, *album*, prædicatur intrinsecè de pariete, quia illi tribuitur ratione albedinis, quæ est in ipso. Hinc excluduntur termini extrinsecè denominantes: ut, *videri*, respectu parietis.

Vide quæ dicta sunt de concretis intrinsecè & extrinsecè denominantibus par. 1. c. 1. ar. 6. Item de prædicatione intrinseca & extrinseca. c. 2. ar. 3.

Q. 9. Quid sibi vult illa particula, ratione rei veræ? R. Ostendit necessarium esse, ut universale significet rem veram, sive ens reale.

Dicitur autem *res vera sive ens reale*, quod rei ipsa existit, vel existere saltem potest: ut, *homo, equus, rosa*, etiam in hyeme, quando non est actu, sed tantum potentia. Excluduntur per hanc partem termini significantes entia fictitia, quæ Philosophi vocare solent entia rationis, id est aliqua impossibilia mente concepta & conficta: ut, *chimæra, hippocentaurus*, &c.

Q. 10. Quid indicat ultima illa clausula, & unius naturæ? R. Declarat necessarium esse, ut universale significet rem unius naturæ, sive, ut Philosophi loquuntur, ens unum per se.

Dicitur autem *res unius naturæ* (ut vulgari explicatione utamur, quamvis non omnino sufficienti) quæ non componitur ex rebus ad diversa prædicamenta pertinentibus: ut, *Angelus*, qui cum ex nullis rebus componatur, utpote partibus carens, non potest componi ex rebus di-

verforum prædicamentorum, Item homo, qui com-
ponitur quidem ex pluribus rebus, sed ejusdem tan-
tum prædicamenti, nempe ex corpore & anima,
quorum utrumque pertinet ad prædicamentum
substantiæ de quo infra.

Enti unius naturæ opponitur, *Aggregatum
per accidens*: diciturque illud, quod componi-
tur ex rebus ad diversa prædicamenta per-
tinentibus, v.g. ex substantia, & accidente. Talia sunt
omnia artefacta, quæ componuntur ex substantia,
& figura, quæ est accidens; ut *sedes*: componitur e-
nim ex ligno, quod est substantia; & figura artificio-
sa, quæ est accidens: non enim potest esse vel concipi
sedes sine figura ad sessionem apta. Hæc igitur om-
nia excluduntur à definitione universalis à Por-
phyrio explicati.

Q.2. Cur ante tres postremas particulas in
sensu additum est, si mentem Porphyrii spe-
ctes? R. Quia si tantum attendatur propria
significatio hujus vocis, *universale*, & non spe-
ctetur mens Porphyrii, illæ particule non
sunt necessariae. Omnis enim vox, quæ potest affir-
mari de multis univocè & divisim, propriè est uni-
versalis, sive communis, cum non sit singularis. Un-
de nomina communia, quæ denominant extrin-
secè, aut significant entia rationis, vel aggregata
per accidens: ut artefacta, propriè loquendo, & si
non spectetur mens Porphyrii, sunt universalis, ut
videri, obimara, sedes. At verò si spectetur intentio
Porphyrii, addendæ sunt tres illæ particule: quia
ipse non agit de quolibet universali, sed tantum de
illo, cujus aliquis usus est in categoriis Aristotelis,
ad quas hic author tractatum de universalibus re-
fert. In categoriis autem ne locum, nec usum ullum
habent termini extrinsecè denominantes, signifi-
cantes entia fictitia, & aggregata per accidens, ut
postea videbitur parte 3. hujus primi Tractatus.

ARTICULUS II.

De Individuo.

Individuum est, quod prædicatur de uno solo particulari. Id est. Individuum est terminus simplex, qui ex vi significationis; quam vulgariter habet, non est aptus verè affirmari de multis univoce & divisim, sed tantum de uno: ut: *Ioannes, Petrus, Bucephalus, hac arbor, hic color, &c.* Quamvis enim *Ioannes*, dicatur de pluribus: ut Joanne Baptista, & Joanne Evangelista, & cæteris ejusdem nominis, non tamen dicitur de illis univoce, id est in eadem significatione.

Q. 1. Quomodo demonstrari potest illum terminum, Joannes non dici in eadem significatione de omnibus, qui hoc nomine appellantur? **R.** Ex dictis p. 1. c. 1. art. 9. quia illud nomen non imponitur illis pluribus ob eandem rationem in ipsis inventam sed ob diversam; ut, Joanni Baptistæ impositum est nomen Joannis, quia Deo ita placuit, aliis fortè ad memoriam parentum, aliis alia de causa. Quod si fortè pluribus impositum sit idem nomen ob eandem rationem. v.g. duobus filiis ad memoriam parentis; illa tamen ratio ipso nomine non exprimitur unde audito illo nomine, Joannes, non formatur idem conceptus.

Individuum generatim sumptū apud Dialecticos est quadruplex, determinatum ex nomine determinatum ex demonstratione individuum vagum, & individuum ex hypotesi sive suppositione.

Individuum determinatum ex nomine
est

est nomen proprium alicujus rei : ut *Ioannes, Petrus, Rhenus, &c.*

Individuum determinatum ex Demonstratione est, quod constat nomine communi, & pronomine demonstrativo: ut, *hic homo, ille canis, ista planta.*

Individuum Vagum est, quod constat nomine communi & signo particulari : ut *aliquis homo.*

Individuum ex Hypothesi est, quod absolute quidem ex vi significationis suæ dici potest de multis, facta tamen certa suppositione, de uno tantum potest affirmari : ut, *Filius Sophronisci*, pro Socrate, supposito quod Sophroniscus unicum filium habeat, scilicet Socratem. Item, *Filius Deipara*, pro Christo Domino, quia præter Christum nullum habuit filium ex se natum.

Q.2. An omnia ista quatuor sint individua propriè dicta? R. Non esse, sed sola duo prima; nam individuum vagum absolute dicitur de multis univocè: ut, *aliquis homo*, de Joanne & Petro. Vocatur tamen individuum, quia ordinariè per illum terminum volumus unicum aliquid designare, sed vago signo indicatum. Individuum etiam ex hypothesis, absolute loquendo, est universale, cum habeat communem significationem, & tantum dicitur individuum secundum quid, quia posito certo casu uni soli convenit.

C A P U T II.

De universalibus quæ predicantur in quid.

V Niversale definitum est quintuplex: Genus, Species, Differentia, Proprium & Acci-

accidens. Ex his duo prædicantur in Quid, scilicet genus & species: Tria in Quale, nimirum differentia, proprium, & accidens.

De duobus primis agetur in hoc capite, de tribus reliquis sequenti. Tradentur verò hoc capite quatuor, Primum linea prædicamentalis. Secundum definitio speciei. Tertium definitio generis. Quartum definitio generalissimi, specialissimi, & subalternorum.


A R T I C U L U S I.

De linea prædicamentali.

Quia commodè intelligi non possunt plures definitiones, quas ex Porphyrio deinceps proponemus, nisi rudis aliqua cognitio seriei prædicamentalis, quam ille explicare intendit, habeatur ante oculos, propterea hoc loco subjectam tabulam præponendam duximus, ad quam tyrones mentem oculosq; referant, dum aliquid infra dicitur, quod illius cognitionem postulet. Neque vero integrum prædicamentum proponimus, sed tantum aliquod eius fragmentum, in quo à summo genere rectà descenditur usque ad certum individuum per terminos intermedios, sub quibus illud individuum collocatur, ommissa aliorum terminorum, sub quibus non continetur, divisione, & idcirco seriem hanc non prædicamentum, sed lineam prædicamentalem appellamus, alii Arbo-rem Porphyrianam.

Sub-

Substantia.



In hac linea vides terminos ita esse dispositos, ut ascendendo, id est, incipiendo ab individuo, quod est, *Joannes*, semper crescat amplitudo significationis illorum, eoque fiant universaliores, quò ab individuo sunt remotiores, quia superior semper est magis communis quam inferior; ut, *homo*, quam *Joannes*; *animal*, quam *homo*, &c. E contra descendendo, id est, incipiendo à generalissimo, quod est, *substantia*, semper decrescit amplitudo significationis terminorum, eòque sunt minus universales, quò magis accedunt ad individuum, & recedunt à generalissimo.

ARTICULUS II.

De Genere.

GENUS est, quod de pluribus specie differentibus hoc ipso quid est prædicatur : Ut *animal*, respectu hominis & bruti: *corpus animatum*, respectu animalis & plantæ; & sic de cæteris usque ad substantiam, ut vides supra in linea prædicamentali.

In hac definitione immediatè post copulam subintelligendus est hic terminus, *universale*, ut sic construatur oratio: *genus est universale, quod, &c.* Idem intelligendum erit in definitionibus aliorum universalium, quæ sequentibus articulis explicabuntur. Itaque *genus* definiti in hac definitione est *universale*, nam ille terminus, qui in definitione immediatè sequitur copulam, à dialecticis vocatur *genus* definiti, ut postea dicetur. Trac. 2. parte. 2. c. 2. Per hanc ergo partem excluduntur omnes termini non universales.

Per specie differentia, intelliguntur species differentes, id est, quæ sunt dissimilis naturæ seu essentiæ: qualia sunt, *homo & brutum*, sub animali; *animal & planta*, sub vivente &c. Per hanc partem excluditur species, uti *homo*, quia *homo*, tantum prædicatur de Joanne, Petro, Paulo, & cæteris hominibus, qui non sunt species differentes.

ANNOTATIO.

Quid sit prædicari hoc ipso quid est, diximus part. 1. cap. 2. art 3. Per hanc autem particulam rejiciuntur cætera universalia. scilicet, differentia proprium, & accidens.

ARTICULUS III.

ARTICULUS III.

De specie.

Adfert Porphyrius duas acceptiones dialecticas huius vocabuli *species*. Aliquando enim significat speciem subijcibilem, aliquando prædicabilem, priorem ita definit.

Species est id, quod subijcitur generi: Id est, ponitur sub genere in recta linea prædicamentali: ut, *homo*, respectu animalis; *homo* enim ponitur sub animali, sicut *animal* sub corpore animato, *corpus animatum*, sub corpore: denique *corpus* sub substantia, ut patet in linea prædicamentali supra posita. Omnes itaque termini in ista linea inter individuum & genus summum interpositi, sunt species subijcibiles, respectu eorum terminorum, sub quibus ponuntur.

Posteriorem, id est, speciem prædicabilem his verbis definit:

Species est id, quod de pluribus differentiis numero hoc ipso quid est, prædicatur. Id est quæ dicitur tantum de differentiis numero tantum: ut, *homo*, respectu Joannis & Petri, reliquorumque hominum; *equus*, respectu huius & illius equi, &c.

Q. 1. Quæ dicuntur differentia numero?

R. Differentia numero dicuntur, quæcunque inter se sic distinguuntur, ut faciant numerum. Sic *Ioannes & Petrus* differunt numero, quia cum sint duo, faciunt aliquem numerum, binarium scilicet, item, *homo & brutum*, &c.

Q. 2. Quæ dicuntur differentia numero tantum? R. Quæ differunt quidem numero, sed non specie: ut, *Ioannes & Petrus*. Talia non sunt homo & brutum, quia hæc etiam specie differunt.

Q. 3. Quare dicitur in sensu, de differenti-
bus numero tantum? R. Additur particula
illa exclusiva (tantum) ad excludendum genus
comparatum ad species: *animal*, respectu ho-
minis & bruti, quia cum genus prædicetur de dif-
ferentibus specie, prædicatur etiam de differenti-
bus numero, sed non de differentiibus numero tan-
tum: ea enim, quæ specie differunt, differunt etiam
numero, sed non tantum.

Q. 4. Quare additur; alia particula ex-
clusiva ad verbum dicitur, dum redditur
sensus: species est quæ dicitur tantum, &c.
R. Ut excludatur genus comparatum ad
individua ejusdem speciei: V. G. *animal*, respectu
Joannis & Petri: verum enim est, quod genus, *ani-
mal* prædicetur in quid de differentiibus tantum
numero, scilicet Joanne & Petro: sed non tantum
prædicatur de illis, cum etiam prædicetur de diffe-
rentibus specie, scilicet homine & bruto. Itaque ut
excludatur genus, addenda est duplex illa particula
exclusiva: Solus ergo ille terminus in linea prædi-
camentali est species prædicabilis, qui ponitur im-
mediate & proximè supra individuum: ut in supe-
riori linea solus ille terminus, *homo*.

Species subjicibilis & prædicabilis genera-
liter sumpta, & jam definitæ non repugnant
inter se, sed habent se ut excedentia & excessiva.

Unde fit triplex species. Una est subjici-
bilis tantum, id est, quæ respectu superiorum
est species, sed respectu inferiorum est genus: ut,
animal, quod respectu corporis animati & reli-
quorum superiorum est species, sed respectu infe-
riorum, scilicet hominis & bruti, est genus.

Secunda est prædicabilis tantum, id est quæ respectu inferiorum est species, sed non respectu superiorum; ut, *rationale*: nam respectu hujus & illius rationalis, quæ sunt ejus inferiora, est species, non est autem species respectu superiorum, quia nulla habet superiora. Et ratio est, quia, ut dialecticis placet, differentiæ non ponuntur directè sub aliquo genere.

Tertia est subijcibilis & prædicabilis simul, id est, quæ tam respectu superiorum, quam inferiorum est species: ut, *homo*: nam respectu animalis est species subijcibilis, respectu vero Joannis & Petri est prædicabilis.

ARTICULUS IV.

De generalissimo specialissimo, & subalternis.

Genus generalissimum est, supra quod nullum aliud omnino genus transcendit: Id est, quo in linea prædicamentali nullum est generalius & superius, ut *substantia*: nam in linea prædicamentali supra posita nihil est univocè generalius sive superius substantiâ.

Genera generalissima numerantur decem, quæ sunt decem prædicamenta, videlicet, Substantia: Quantitas, Qualitas, Ad aliquid, Actio, Passio, Ubi, Quando, Situs, Habitus.

Species specialissima est, quæ alias in species ullas dividi nequit: Id est, quæ in linea prædicamentali nullas species habet inferiores, in quas dividi possit: ut, *homo*: nam in linea prædicamentali supra posita nulla species est inferior hominæ, cum sub illo ponantur sola individua, *Ioan-*

nes, Petrus, &c. Itaque species specialissima idem est quod species prædicabilis & subjicibilis simul.

Subalterna genera speciesque sunt, quorum unumquodque species genusque est, non respectu tamen ejusdem, sed diversorum; Id est. genera subalterna, sive species subalternæ dicuntur, quæ simul habent rationem generis & speciei; generis quidem respectu inferiorum, speciei verò respectu superiorum. Itaque subalternum genus vel subalterna species, idem est, quod species subjicibilis tantum; ut, *animal*. Talia sunt omnia, quæ in linea prædicamentali inter genus summum & speciem infimam collocantur.

Ex his perspectum evadit, quibus terminis constet series prædicamentalis, scilicet individuo, genere generalissimo, speciebus specialissimis & subalternis.

CAPUT III.

De universalibus quæ prædicantur in quale.

Explicantur in hoc capite reliqua tria universalis; scilicet, *differentia*, *proprium* & *accidens*.

ARTICULUS I.

De Differentia.

Differentia est id, quod de pluribus specie vel numero differentibus hoc ipso quale quid est, prædicatur: Ut, *rationale*: prædicatur enim in quale quid de Joanne, Petro, cæterisque hominibus. Reijciuntur ergo à definitione hac: *proprium* & *accidens*, quia non prædicantur in quale quid, id est, essentialiter, sed tantum in quale, id est, accidentaliter. Vide dicta p. 1. c. 2. a. 3.

Di-

De universalibus, quæ predicantur in quales. 41

Dividitur differentia in constitutivam, & divisivam.

Differentia Constitutiva dicitur, quæ constituit speciem ut, *rationalis*, respectu hominis; *sensitivum*, respectu animalis; & reliquæ differentia, quæ supra in linea prædicamentali minoribus literis expressæ sunt, si conferantur cum illis speciebus, quibus superponuntur.

Differentia Divisiva dicitur quæ dividit genus: ut, *rationalis*, & *irrationalis*, respectu animalis; *sensitivum*, & *insensitivum*, respectu corporis animati, & cæteræ in linea prædicamentali propositæ, si comparentur cum illis generibus, ad quorum latera infernè collocantur.

Q. 1. An igitur una & eadem differentia possit esse constitutiva, & divisiva? R. Omnino, non quidè respectu ejusdè, sed diversorū. Imo verò omnis differentia divisiva est constitutiva, & contrà; divisiva quidem generis, & constitutiva speciei, quæ sub illo genere ponitur, ut patet ex linea prædicamentali.

Differentia constitutiva subdividitur in differentiam genericam & specificam.

Differentia Generica est, quæ constituit genus: ut, *sensitivum*, *animatum*, *materiale*; constituunt enim *animal*, *corpus animatum*, *corpus*.

Differentia Specifica est, quæ proximè constituit speciem specialissimam; ut, *rationalis*.

Q. 2. Quare additur in definitione illa particula, PROXIMÈ? R. Ut excludatur differentia generica, quæ constituit quidem speciem specialissimam, sed remotè.

Est enim regula generalis, quod omnis differentia constitutiva superioris sit etiam constitutiva inferioris, sicut è contrario omnis differentia divisiva inferioris est etiam divisiva superioris, sed remotè : ut, *materiale*, quod constituit corpus, constituit etiam corpus animatum, animal, hominem; & *rationale*, quod dividit animal, dividit etiam corpus animatum, corpus, substantiam.

Q. 3. Quare dicitur, quæ constituit SPECIEM SPECIALISSIMAM, non verò simpliciter, quæ constituit speciem? R. Quia differentia generica etiam proxime constituit speciem, nempe subalternam: ut ergo hæc excluderetur, addenda fuit dicta particula, *specialissimam*.

Nota tamen differentiam specificam aliquando latè sumi, ut etiam comprehendat genericam, quia saltem constituit speciẽ subalternã, ut dictum est.

ANNO TATIO

Differentia hic explicata est differentia Logica, quæ Propriissima vocari solet. De differentia communi, quæ est accidens separabile, & propria, quæ est accidens inseparabile, nihil dictum est, tum quia non sunt ad institutum necessaria, tum quia de accidente ante tempus agendum fuisset.

ARTICULUS II.

De Proprio.

Item in explicandis prioribus Universalibus consulto varias nominum acceptiones à Dialectico alienas omiserimus, quarum mentionem
fa-

De universalibus que predicantur in quale. 43

facit Porphyrius; hic tamen aliquot Proprii acceptiones, quas idem proponit, propter frequentem usum non possumus praterire. Sunt igitur quatuor acceptiones hujus nominis.

Proprium primo modo est, quod soli cuiuspiam accidit speciei, etsi non omni: Id est, non omnibus ejus individuis: ut, *Grammaticus*, respectu hominis: solus enim homo est Grammaticus, sed non omnis.

Proprium secundo modo est, quod omni accidit speciei, etsi non soli: ut, *bipes*, id est, aptus ad habendos duos pedes, respectu hominis.

Proprium tertio modo est, quod soli accidit, & omni, atque quandoque: ut, *canescere*, respectu hominis: solus enim & omnis homo canescit, non semper, sed tantum in senectute, si ad illam homo perveniat.

Proprium quarto modo est id, in quod omnia convenerunt, ut soli & omni semperque accidat: ut, *risibile*, respectu hominis, *binabile*, respectu equi.

Q. 1. Quid in illis definitionibus est accidere? R. Est convenire non essentialiter. Et sic à definitione Proprii quarto modo rejicitur quælibet differentia respectu speciei, quam proximè constituit; ut, *rationale*, respectu hominis. Item à definitione proprii secundo modo excluditur differentia generica, respectu speciei, quam remotè constituit: ut, *sensitivum*, respectu hominis.

Q. 2. Quæ ex allatis proprii acceptionibus est potissima? R. Quarta: Illud enim maxime proprium vocamus, quod convertitur

cum

eum eo, cui dicitur proprium, quale solum est proprium quarto modo.

Q. 3. An definitio proprii quarto modo sit adæquata definitioni proprii, prout est quantum universale? R. Non esse; quædam enim ea non continentur, quæ tamen sub quarto generali contineri constat, ut statim patebit. Sic ergo potius definiendum est proprium, prout est quantum universale.

Proprium (*ut est quantum universale*) est, quod de multis specie vel numero differentibus accidentaliter & necessario prædicatur: ut, *risibile*: dicitur enim accidentaliter i. non essentialiter, sed tamen necessario, de Joanne, Petro, cæterisque hominibus, Item, *bipes*, id est, aptum ad habendos duos pedes, respectu eorundem.

Q. 4. Quænam in hac definitione continentur? R. Contineri non solum propria quarto modo, sed etiam quædam propria secundo modo: ut, *bipes*, respectu hominis: & similia per aptitudinem exposita. Hujusmodi enim aptitudines, etsi rebus, cum quibus comparantur, non solis conveniant, tamen conveniunt necessario.

ARTICULUS III.

De Accidente.

ACCIDENS est, quod adest atque abest sine subjecti corruptione: Id est, quod potest convenire, & non convenire alicui subjecto sine illius subjecti destructione: ut, *album*, respectu parietis.

Q. 1. Quare verba illa adest atque abest, exponuntur per potentiam, non per actum?

R. Quia

R. Quia falsum est, quod accidens actu adhi, & absit; hæc enim repugnantia sunt, sed aptum est, ut adsit & absit.

Q. 2. Quare additur, sine subjecti corruptione? R. Ad excludenda cætera universalia quæ possunt quidem abesse subjectis suis, sed cum illorum interitu; ut, si animal absit ab homine, non remanebit homo.

Accidentium aliud separabile, aliud inseparabile.

Accidens Separabile est, quod re ipsa & faciliè à subjecto abesse potest, sine ipsius corruptione: ut, *album*, respectu parietis; *dormire*, respectu hominis.

Accidens Inseparabile est, quod re ipsa nullo modo, vel ægre admodum abesse potest à subjecto sine ipsius corruptione: ut, *calidum*, respectu ignis; *nigrum*, corvi; *album*, cygni, &c.

Q. 3. Quomodo datur accidens inseparabile, cum omne accidens iuxta definitionem possit abesse sine subjecti corruptione? R. Omne accidens potest abesse saltem mente, sed datur aliquod accidens, quod non potest abesse re ipsa, & illud dicitur inseparabile: ut, *calidum*, respectu ignis.

Q. 4. Quid est posse abesse mente sive cogitatione? R. Est posse negari de subjecto, non destructa in mente subjecti essentia. Verbi gratia: Etiam si neges apud te corvum esse nigrum, non tamen in tua mente destrues corvi essentiam. |

Q. 5. Quare proprium non potest negari de subiecto salvâ in mente subiecti essentia, cum non sit de essentia subiecti? R. Quia proprium profluit ex essentia, eamque necessario consequitur. Unde illo sublato, consequenter destruitur essentia; juxta illud:
Qui tollit proprietates, tollit essentiam.

TRACTATUS PRIMI

P A R S T E R T I A.

De Categoriis seu Prædicamentis.

Liber Categoriarum Aristotelis in tres partes dividi solet: Antepredicamenta, Predicamenta, Postpredicamenta. Verum, quia de his quæ ex Antepredicamentis ad institutum nostrum necessaria sunt, partim supra dictum est, partim infra ex occasione dicendum erit, aliquanto aliter hanc partem, in quatuor scilicet capita dividemus. In primo agetur de Predicamentis in generali. In secundo de singulis predicamentis in speciali. In tertio de postpredicamentis. In quarto de proprietatibus predicamentorum, quas in postremum locum rejicimus, quia intelligentia à postpredicamentorum explanatione dependet.

C A P U T I.

De Prædicamentis in generali.

In hoc capite tria explicabuntur. Primum quid & quotuplex sit categoria, sive predicamentum.

mentum. Secundum, quot modis aliquis terminus ponatur in prædicamento. Tertium, quæ conditiones requirantur, ut aliquis terminus directè ponatur in prædicamento.

ARTICULUS I.

*Quid sit categoria sive prædicamentum,
& quatuorplex.*

CATEGORIA sive PRÆDICAMENTUM est series, sive ordo terminorum magis & minus communium, in quo sub uno summo genere multa genera, species & individua continentur.

Vide supra lineam prædicamentalem, quæ pars est prædicamentalis substantiæ, & infra integrè prædicamentum substantiæ, cap. 2, ar. 1.

Q. 1. Quare talis series vocatur Categoria sive Prædicamentum? R. Quia termini, qui in tali serie collocantur, sunt materia prædicationis sive enuntiationis: nam superiores apti sunt prædicari seu affirmari de inferioribus prædicatione ordinata, essentiali, quidditativa. Ita fit, ut prædicamentum nihil aliud sit, quam prædicatorum & subjectorum series.

Q. 2. Quo fine traduntur hæc prædicamenta? R. Ut in promptu sint termini ad faciendas prædicationes sive enuntiationes, & ex iis syllogismos, qui est ultimus scopus dialecticæ.

Decem sunt prædicamenta, quæ iisdem verbis exprimuntur, quibus superius genera generalissima expressimus, videlicet, *Substantia, Quan-*
titas

ritas, Qualitas, Ad aliquid, Actio, Passio, Vbi, Quando, Situs, Habitus.

ARTICULUS II.

Quot modis aliquid ponatur in prædicamento.

TRIBUS modis terminus ponitur in prædicamento, directè, indirectè, reductivè.

Directè ponitur summum genus cum iis de quibus prædicatur in quid, nimirum subalternis speciebus specialissimis, & individuis: His enim solis conveniunt conditiones requisitæ, ut terminus directè in prædicamento ponatur, ut patebit articulo sequenti.

Indirectè ponuntur differentiæ: nam hæ ad latus generum tantummodo constituuntur ad divisionem faciendam.

Reductivè ponuntur, quæ aliquem respectum habent ad ea, quæ directè collocantur, verbi gratia, partes substantiæ reductivè ponuntur in prædicamento substantiæ, ut caput, manus, pes, &c.

ARTICULUS III.

Quæ conditiones requirantur, ut terminus ponatur directè in prædicamento.

QUINQUE conditiones requiri solent, ut aliquis terminus directè ponatur in prædicamento, scilicet, ut sit simplex, ut significet ens, reale, unum completum, finitum.

Quid sit terminus simplex, dictum est p. 1. c. 2. a. 4.

Hinc

Hinc rejiciuntur à prædicamentis orationes & voces complexæ quo ad significationem.

Quid sit ens reale, explicatum est circa definitionem universalis supra part. 2. c. 1. art. 1. q. 9. Rejiciuntur ergo per hanc partem termini significantes entia rationis, de quibus ibidem dictum fuit.

Ens unum dicitur, quod est unius naturæ. Quid autem sit ens unius naturæ, etiam dictum est circa definitionem universalis, q. 10. Hinc excluduntur omnes termini significantes composita per accidens: ut arte facta, *sedes, vestis, &c.*

Ens completum dicitur, quod non concurrit tanquam pars ad compositionem rei unius naturæ: ut *homo, brutum, &c.* E contrario *ens in completum* dicitur, quod concurrit tanquam pars ad compositionem rei unius naturæ, ut, *anima, corpus, caput, pes, &c.* concurrunt enim ad compositionem hominis, qui est res unius naturæ. Itaque per hanc conditionem excluduntur à prædicamentis termini, qui significant partes essentielles physicas, id est, materiam & formam; quales sunt in homine anima & corpus. Item qui significant partes integrantes, ut, *caput, manus, pes, &c.* quæ tamen reductivè in prædicamento illo ponuntur in quo sunt tota ad quæ spectant partes. Excludi etiam solet per hanc particulam differentia, ne ponatur directè quia est pars essentialis Logica. Consuevit enim assignari duplex pars essentialis Logica, scilicet genus & differentia, quæ simul junctæ faciunt speciem, ut, *animal, & rationale,* faciunt hominem.

Q. Cur ergo genus non rejicitur etiam à prædicamentis, cum sit pars? R. Quia licet genus propter dictam rationem videatur esse tam incompletum, quam differentia; tamen significat per modum completi, quia est quid absolutum, & prædicatur in quid; differentia vero

est quid connotativum significans formam quasi adjacentem, unde & prædicatur in quale quid.

Ens finitum dicitur, quod est finitæ perfectionis, ut omnes creaturæ; *Ens infinitum* verò est quod est infinitæ perfectionis, ut solus Deus Optimus Maximus, qui idcirco prædicamento non concluditur, cum omnia in se contineat potestate vel virtute.

C A P U T II.

De singulis prædicamentis in particulari.

IN singulis prædicamentis tria tradentur. Primum definitio generis generalissimi, quod in unoquoque unum est. Secundum divisio in potissima membra. Tertium series vel saltem linea prædicamentalis. Visum est autem prædicamenti substantiæ integram seriem proponere, ut in ea forma prædicamentalis observetur. In reliquis vero lineam tantum prædicamentalem oculis subicere, quia hoc sufficit, ut tyrones sibi congruentem terminorum varietatem habeant, & in singulis prædicamentis genera & species assignare possint: aliunde vero tanta multitudo divisionum ac subdivisionum, quæ in prædicamentis integris proponitur, & rudes potius confundit quam juvat, peti debet.

ARTICULUS I.

De Substantia.

Substantia est ens per se existens: ut, homo, lapis, &c.

Illud dicitur per se existere, quod ad sui naturalem existentiam non requirit subjectum inhaesionis.

Substantiae opponitur accidens, quod sic definitur.

Accidens est ens, in alio existens. Id est, quod ad sui naturalem existentiam requirit subjectum inhaesionis: ut, *albedo, nigredo, lux*, &c. albedo enim non potest existere naturaliter, nisi vel in nive, vel in lacte, vel in charta, vel in aliquo alio subjecto: idem est iudicium de caeteris accidentibus. At substantia non requirit ullum subjectum, in quo sit, imò accidentia omnia sunt in substantia, tanquam in subjecto, & idcirco vocatur substantia, quia scilicet ipsa omnibus caeteris rebus, nempe accidentibus, substat, velut eorum basis ac fundamentum.

Q. 1. Quare additur in sensu utriusque definitionis, ad sui naturalem existentiam?

R. Quia supernaturaliter accidens potest existere sine subjecto inhaesionis, ut re ipsa existit in venerabili Sacramento Eucharistiae, ubi accidentia panis remanent sine pane, vel alio subjecto: sed, ut dixi, hoc fit supernaturaliter, non naturaliter.

Quid vero sit esse in subjecto inhaesionis, definit Aristoteles his verbis:

Id in subjecto esse dico, quod in aliquo quidem est, & non ut pars, ut sit autem seorsum ab eo, in quo inest, fieri nequit. Ut, *albedo* est in corpore tanquam in subjecto, quia cum non sit pars corporis, non potest esse naturaliter sine corpore. Non ita substantia existit in ali-

quo, v.g. vinum in vase, quia vinum potest esse sine vase.

Dividitur substantia in primam & secundam.

Prima substantia est substantia singularis: ut, *Ioannes, Petrus, &c.*

Substantia Secunda est substantia universalis: ut, *homo, animal, &c.*


Q. 2. Cur substantia singularis vocatur prima, & universalis secunda; R. Substantia singularis vocatur prima substantia, quia substat omnibus aliis tanquam primum & imum fundamentum: non solum enim omnia accidentia recipiuntur in illa, ut in subjecto inhætionis, sed etiam omnes substantiæ illi insunt essentialiter, & de ea prædicantur, tanquam de primo subjecto essentiali. Itaque prima substantia subest & substat omnibus aliis tam accidentibus quam substantiis universalibus, tanquam primum omnium subjectum, quamvis diversaratione. Cum ergo substantia dicatur à substando, merito substantia singularis dicitur prima substantia. Substantia autem universalis, cum non substet omnibus aliis substantiis, (non enim substantiis singularibus) sed tantum accidentibus, non est primum reliquorum fundamentum & subjectum, sed velut secundarium; & ideo rectè dicitur substantia secunda.

A N N O T A T I O.

Quia supra dictum est, in explicatione Accidentis, quod substantia non requirat ullum subjectum in quo sit, & quia hic videtur admitti, quod in subjecto sit secunda substantia, oportet animadvertere, quod sit duplex subjectum nempe Inhætionis de quo actum est in explicatione Accidentis, & Prædicationis, de quo actum fuit Tr. 1. part. 1. c. 1. ar. 1. Et in tali subjecto prædicationis posse esse substantiam secundam hoc loco docetur & concedi debet.

De singulis in predicamentis in particulari. 53
 PRÆDICAMENTVM SVBSTANTIÆ.

SUBSTANTIA



ARTICULUS II.

De Quantitate.

Quantitas est, secundum quam aliquid dicitur quantum, vel aliqua dicuntur aliquot: ut, *linea bipedalis, ternarius numerus.*

Dici **QUANTUM** est denominari concreto, quo apte respondetur quæstioni factæ per quantum: ut bipedale: si enim quærat, quantum illud sit, apte respondetur esse bipedale, tripedale &c.

Dici *Aliquot* est denominari concreto, quo apte respondetur quæstioni factæ per Quot: tria si enim quærat, quot sint, apte respondetur esse tria. Itaque priori membro continetur quantitas continua, posteriori discreta, de quibus jam dicitur.

Dividitur quantitas in continuam & discretam.

Quantitas Continua est, cujus partes aliquo termino communi copulantur: ut, *linea*: ejus enim partes copulantur termino communi, scilicet puncto.

Q. 1. Quid & quotuplex est terminus in quantitate continua? R. Terminus est aliquid indivisibile in quantitate existens: ut, *punctum* in linea, *momentum* in tempore, &c.

Terminus ille est triplex, inchoans, finiens, communis.

Terminus inchoans est, à quo quantitas ducit initium: ut, *primum momentum hora.*

Ter-

Terminus finiens est, in quod quantitas definit: ut, *ultimum momentum hora.*

Terminus communis est, quo partes quantitatis conjunguntur: ut, *medium momentum hora,* vel *punctum linea.* Vocatur communis, quia est duarum partium terminus, finis quidem unius, & initium alterius.

A N N O T A T I O.

Aliter hic usurpatur Terminus, quam Tr. 1. p. 1. c. 1. art. 2. ibi enim usurpabatur pro propositionis extremo, hic autem pro extremo vel etiam nexu quantitatis.

Quantitas continua dividitur in permanentem, sive Magnitudinem, & successivam, sive Tempus.

Quantitas permanens sive Magnitudo est, cui non repugnat habere omnes partes simul existentes: ut, *linea:* eius enim omnes partes possunt simul, id est, eodem tempore existere.

Quantitas permanens sive magnitudo est triplex, linea, superficies, & corpus.

Linea est magnitudo longa, non lata, cujus partes puncto copulantur.

Superficies est magnitudo longa & lata, non profunda, cujus partes linea copulantur.

Corpus est magnitudo longa, lata & profunda, cujus partes superficie copulantur.

Q 2. Quomodo in definitione superficiei ponitur linea tanquam terminus ejus & in definitione corporis superficies, cum antea dictum sit terminum esse quid indivisibile, linea vero & superficies sint divisibiles, illa quidem secundum longitudinem, hac etiam secundum latitudinem? R. Terminum debere esse quid indivisibile, vel

absolute, ut punctum in linea, momentum seu instans in tempore, vel saltem propria divisione illius quantitatis cuius est terminus, & sic linea, quae est terminus superficiei, est indivisibilis secundum latitudinem; & superficies quae terminus corporis, est indivisibilis secundum profunditatem.

Q. 3. Quomodo corpus numeratur inter species quantitativae, cum antea positum sit in predicamento substantiae, & alibi dictum sit illud non poni directe in predicamento? R. Corpus habere triplicem significationem. 1. Significat alteram partem compositi naturalis, scilicet materiam, quomodo dicimus hominem esse compositum ex corpore & anima. Et in hac significatione non ponitur directe in ullo predicamento, sed reductivè. 2. significat integrum compositum naturale; quomodo dicimus hominem esse corpus, id est substantiam corpoream. In hoc sensu ponitur in predicamento substantiae. 3. Significat quantitatem habentem tres dimensiones, quam possumus vocare corpulentiam vel crassitiem. Et ita accipitur hoc loco, cum dicitur esse species predicamenti *Quantitativae*.

Quantitas successiva sive Tempus est, cui repugnat habere omnes partes simul existentes, ut hora, dies, annus, & sic explicata est quantitas continua: sequitur nunc discreta.

Quantitas discreta est cuius partes nullo termino communi copulantur: ut, binarius, ternarius, & caeteri numeri.

Quantitas discreta dividitur in numerum
& orationem, Nu-

& orationem.

Numerus est quantitas discreta permanens: ut, ternarius.

Oratio est quantitas discreta successiva: ut hæ voces prolatae, *Ioannes ambulat.*

ANNOTATIO.

Tribus speciebus magnitudinis addidit Aristoteles quartam, nempe locum, sed ex vulgi potius quam suâ sententia Nam in physicis declarat locum non esse aliud quam superficiem. Idem censent communiter interpretes de oratione, qua potius qualitas est quàm quantitas.

Linea prædicamenti QUANTITATIS.

Quantitas.

Continua	Continua	Discreta Numerus
Permanens	Magnitudo	Successiva Tempus
Magnitudo	Magnitudo	
longa non lata.	longa, lata, crassa.	longa & lata.

Hæc linea.

Ista linea, &c.

ARTICULUS III.

De Qualitate.

Qualitas est, qua quales quidam dicuntur. Ut, *albedo*: ab ea enim homo dicitur *albus*, *Iustitia*, qua dicitur *iustus*, &c.

Genus definiti post copulam definitionis huius intelligendum, est forma accidentalis. Hinc excluduntur formæ substantiales, ut, *anima*; & differentia substantiarum, ut, *rationale*, quæ non sunt qualitates accidentales.

Dici Quale est denominari concreto ; quod aptè respondetur quæstioni factæ per **QUALE** tantum: ut, paries dicitur *qualis* ab albedine, quia si quæratu: qualis sit paries, rectè respondetur esse *albus*.

Q. 1. Quare additur in allata explicatione particula exclusiva, **TANTUM**? **R.** Ut excludantur cæteræ formæ accidentales, quæ cum prædicentur in quale, denominant etiam sua subjecta concreto, per quod aptè respondetur quæstioni factæ per *quale* sed non tantum; ut à lignum trium cubitorum dicitur lignum *tricubitum*, per quod concretum non tantum responderi potest ad quæstionem factam per quale, sed etiam & quidem magis propriè ad quæstionem factam per quantum. Si enim quæratu: quantum sit lignum, optime respondebitur esse *tricubitum*.

Dividitur qualitas in quatuor species; quæ omnes duplici voce sub disjunctione exprimuntur. Prima dicitur *Habitus* vel *dispositio*. Secunda, *Vis naturalis* vel *imbecillitas*. Tertia, *Patibilis qualitas* vel *passio*. Quarta, *Figura* vel *forma*.

HABITUS *vel Dispositio* est qualitas acquisita vel infusa, qua subjectum redditur pròptum ad operandum, difficulter vel facile mobilis: ut. *habitus citharizandi, scientia, virtus*.

Q. 1. Quare dicitur sub disjunctione qualitas *acquisita* vel *infusa*? **R.** Quia *habitus* aliqui *acquirantur* *exercitio*, id est, *frequenti repetitione*

De singulis predicamentis in particulari. 59
tione actuum similium: etsi omnes dicuntur Ha-
bitus naturales, item Acquisiti. Alii verò non ac-
quiruntur exercitio, sed divinitus infunduntur:
ut, fides, spes, charitas, & hi vocantur habitus su-
pernaturales, item infusi.

Q. 2. Quare dicitur iterum sub disjunctione
difficiliter vel facile mobilis? R. ut indicetur dis-
crimen inter habitum & dispositionem: si enim
qualitas sit difficiliter à subjecto mobilis, voca-
tur Habitus; ut temperantia longo usu confirma-
ta. Si autem illa qualitas sit facile mobilis à sub-
jecto, dicitur dispositio: ut, temperantia paucis
actibus comparata.

Ad hanc speciem qualitatis pertinent om-
nes scientiæ, artes, virtutes, vitia.

Vis Naturalis vel imbecillitas est qualitas à
natura infita, qua subjectum redditur po-
tens vel impotens ad aliquid faciendum, aut
resistendum, aut suscipiendum suam perfecti-
onem.

Est ergo triplex vis naturalis vel imbecillitas.
Prima, qua subjectum redditur potens vel impo-
tens ad operandum: ut, *vis audiendi in juvene, imbe-
cillitas in sene*. Secunda, qua subjectum redditur po-
tens vel impotens ad resistendum corruptenti, ut,
durities in ferro, mollities in cera. Tertia, qua subje-
ctum redditur potens vel impotens ad suscipien-
dam suam perfectionem: ut, *vis naturalis, per quam
aliquis dicitur insanabilis*, nempe propter bonam vel
malam humorum complexionem.

Ad hanc speciem pertinent omnes facultates animalium, plantarum, lapidum, metallorum, &c.

PATIBILIS QUALITAS VEL PASSIO est qualitas unico sensu exteriori perceptibilis vel appetitus affectio, difficulter aut facile mobilis: ut, *albedo, nigredo, ira, odium, &c.*

Q. 3. Quid hic vocatur appetitus affectio?
R. commotio appetitus orta ex vehementiori apprehensione: ut, *indignatio, ira odium, amor laetitia, tristitia, &c.*

Q. 4. Quare iterum hic dicitur disjunctivè, difficulter aut facile mobilis? **R.** Ad indicandum discrimen inter patibilem qualitatem & passionem: si enim qualitas illa unico sensu exteriori perceptibilis, vel affectio appetitus sit difficulter mobilis, vocabitur patibilis qualitas, ut, *color firmus & constans, inveteratum odium: si autem sit facile mobilis, dicetur passio: ut, rubor ortus ex verecundia, levis indignatio.*

FIGURA VEL FORMA est qualitas quantitatem terminatam consequens, ut, *triangulus, quadratum, &c.* vel qualitates temperatas, consequens, ut *pulchritudo, & deformitas &c.*

Linea Prædicamenti QUALITATIS.

Qualitas.

Habitus

Vis naturalis, &c.

Habitus

Acquisitus

infusus

Acquisitus

Moralis

| Intellectualis

Moralis

Virtus

Vitium

| Virtus |

Temperantia

Fortitudo, &c.

| Temperantia

Hæc

Ista,

ARTICULUS IV.

De Ad Aliquid.

AD aliquid sunt ea, quorum esse idem est ei, quod est ad aliquid aliquo modo se habere: Id est, quæ nihil aliud denotant, quam relationem ad aliud: ut, *pater, filius* &c. *pater* enim nihil aliud designat, quam respectum ejus qui genuit ad eum qui genitus est. Item *filius*, respectum ejus qui genitus est, ad eum qui genuit.

Definitum sunt, *Ad aliquid*, quæ aliis nominibus dicuntur *relata, relativa, respectiva*. Quibus concretis respondent hæc abstracta, *relatio respectus*, & his æquivalentia.

Pro majori hujus definitionis intelligentia, adverte, terminum generaliter sumptum dividi in relativum sive respectivum, & absolutum. Hanc divisionem initio omisimus, ut commodius hoc loco explicaretur.

Terminus Relativus est, qui significat respectum seu relationem ad aliud: ut, *Pater filius, dominus servus*. Non enim potest intelligi pater nisi alicujus, scilicet filii; nec filius intelligi potest nisi alicujus, scilicet patris. Et hæc definiuntur ab Aristotele sam explicata definitione.

Terminus Absolutus est, qui non significat respectum ad aliud: ut, *homo, linea, albedo*, & omnia nomina significantia substantiam, quantitatem, aut qualitatem. Unde hic non accipitur terminus absolutus prout opponitur connotativo, sicut acceptus est I. part. cap. 1. art. 7. sed prout opponitur relativo:

Q. 1. Quot & quæ concurrunt ad relationem, & per nomen respectivum significantur?

R. Duo, fundamentum, & terminus.

Fundamentum relationis est id, à quo incipit relatio, id est, in quod refertur & comparatur cum alio.

Terminus relationis est id, in quod tendit relatio: id est, id cum quo aliud comparatur, ut si dicas, *Anchises Ænea pater*, fundamentum est *Anchises*, terminus *Æneas*. Vel sic *Pater est filii pater*, fundamentum est, *is qui est pater*. terminus *is qui est filius*.

A N N O T A T I O.

Hic aliter accipitur Termini nomen, quam articulo 2 precedente & Tr 1 p 1. cap. 1. art. 2. ut patet. si conferantur ea qua ibi dicta sunt in Annotatione, & qua hic dicuntur.

Q. 2. An nomina respectiva eodem modo significant fundamentum & terminum?

R. Non eodem modo: significant enim fundamentum in recto, terminum in obliquo ut patet exemplo superiori; unde nomina respectiva dicuntur connotare terminum, ut alibi etiam dictum est.

Q. 3. Quomodo differunt relativa, & correlativa? R. Relativa dicuntur, quæcunque referuntur ad aliud. ut, *pater dominus* &c. talium unumquodque seorsim. Correlativa autem vocantur, quæ referuntur ad invicem: ut, *pater & filius: dominus & servus; preceptor & discipulus*, Si nimirum talia relativa duo unà acciperis.

Dividuntur Relativa, in Relativa Equiparantiæ & Disquiparantiæ.

Relativa Equiparantiæ sunt, quæ referuntur ad correlativum ejusdem nominis, ut, *simile, æquale, cognatus, affinis*, &c. Nam simile est simili simile, æquale est æquali æquale &c.

Relativa Disquiparantiæ sunt, quæ referuntur ad correlativa diversi nominis, ut *dominus & servus: pater & filius*, &c. Nam dominus est servi dominus, non Domini; & pater est filii pater, non, patris,

Linea Prædicamenti ACTIONIS,

Actio

Animæ

Corporis

Animæ

Sensum habentis

Sensu carentis

Sensum habentis

Externa

Interna

Externæ

Visio. Auditio. Tactio. Olfactio. Gustatio

Visio

Hæc

Istæ.

ARTICULUS VI.

De reliquis quatuor prædicamentis.

Vbi est præsentia rei in loco, ut, esse in scholâ, foro, templo, &c. aliàs dici solet esse id quod aptè respondetur ad quæstionem ubi.

Linea Prædicamenti Ubr.

In Mundo.		Extra Mundum.
	In Mundo	
In terra		In cælo
	In terra	
In urbe		Extra urbem
	In urbe	
Sub tecto		Sub dio
	Sub tecto	
Publico		Privato
	Publico	
Sacro		Profano
	Sacro	
In templo		In sacello
	In templo	
D. Petri		D. Pauli

QUANDO est existentia rei in tempore :
 ut, fuisse heri, esse hodie, cras fore, vel, est, id quod aptè
 respondetur ad questionem Quando.

De singulis prædicamentis in particulari. 67

Linea Prædicamenti QUANDO.

Quando

In tempore circumstanti In præsentis

In circumstanti

In præterito In futuro

In præterito

Olim Nuper

Olim

A sæculo A lustro

A sæculo

Hoc Illo

SITUS est dispositio partium in toto in ordine ad locum: ut, stare, sedere, cubare: nam homo suscipit has denominationes ex eo quod habeat partes corporis certa ratione in loco dispositas.

Linea Prædicamenti SITUS.

Situs.

Fortuitus Naturalis

Fortuitus

Sessio Statio, &c.

Sessio

Hæc Ista

E 2

Hæc

HABITUS est indumenti vel ornamenti ad corpus applicatio, à quo aliquid denominatur ut, *esse calceatum, coronatum, &c.*

Linea Prædicamenti HABITUS

Habitus

Indumenti

Ornamenti.

Indumenti

Domestici

Militaris

Domestici

Tunicatio

Calceatio

Tunicatio

Hæc

Ista.

CAPUT III.

De Postprædicamentis.

EXIIS, quæ Aristoteles in Postprædicamentis eradit, duo hic tantum præcipua explicabuntur, nempe *Opposita, & Modi prioris & simul.*

ARTICULUS I.

De Oppositis.

Repugnantia sunt, quæ de eodem singulari simul verè affirmari non possunt: ut, *album, & nigrum.*

Repugnantium alia sunt disparata, alia opposita.

Disparata sunt, quæ non præcisè repugnant: Id est, sunt repugnantia, quorum unum ali-

alicui tertio æquè vel magis repugnat eodem repugnandi modo : ut, *homo & equus, album & rubrum* : homo enim æquè leoni repugnat atque equo, album vero æquè vel etiam magis repugnat nigro quam rubro. Cur addatur, *eodem repugnandi modo*, statim patebit.

Opposita sunt quæ præcisè repugnant : Id est, sunt repugnantia, quorum neutrum alicui tertio æque vel magis repugnat eodem repugnandi modo : ut, *album & nigrum, calidum & frigidum* : album enim nulli tam repugnat quam nigro, nec vice versa, & sic de calido & frigido.

Opposita sunt quadruplicia, Relativè opposita, Contraria, Privantia, Contradictoria.

Q. Unde sumitur & colligitur ista divisio?

R. Ex modis generalibus repugnandi, qui sunt quatuor. Primus, quo relativum repugnat relativo : ut, *pater filio*. Secundus, quo positivum absolutum repugnat positivo absoluto : ut, *album nigro*. Tertius, quo positivum repugnat privativo : ut, *visus cacitari*. Quartus, quo positivum repugnat negativo : ut *homo non homini*.

Ubi per *positivum* intelligitur terminus affirmans, id est, nullam negationem significans : ut, *homo, album, &c.*

Primus modus constituit relativè opposita, secundus contraria, tertius privantia, quartus contradictoria

Relative opposita sunt, quæ id quod sunt oppositorum, aut alio aliquo modo ad illa dicuntur : Ut, *pater & filius, majus & minus, & omnia correlativa*.

Dici *oppositorum*, est referri ad opposita in

genitivo casu expressa, sic pater refertur ad filium, cum dicitur, *Pater est filii Pater.*

Dici aliquo alio modo ad illa, est referri ad opposita expressa in alio casu quam in genitivo. Sic majus refertur ad minus, cum dicitur, *majus est minore majus.* Contrariorum ex Aristotele colligitur hæc definitio.

Contraria sunt, quæ posita sub eodem genere maximè à se invicem distant, & eidem subjecto susceptivo vicissim insunt, à quo se mutuo expellunt, nisi alterum insit à natura: ut, *album, & nigrum.*

In hac definitione continentur quatuor conditiones sive leges contrariorum.

Prima, ut sint sub eodem genere; sive illud sit proximum, sicut *albedo & nigredo* ponuntur sub *colore*; sive remotum, sicut *injustitia & justitia* ponuntur sub diversis generibus proximis, scilicet virtute & vitio, sed illis mediantibus ponuntur sub eodem genere remoto, nempe habitu, & ulterius sub qualitate. Itaque contraria saltem debent esse ejusdem prædicamenti. Per hanc partem exciuduntur privantia & contradictoria.

Secunda conditio contrariorum est, ut sub illo eodem genere maximè distant, id est, præcisè repugnent: quod eodem modo explicandum est, quò suprà. Hinc excluduntur disparata.

Tertia, ut eidem subjecto inhætionis vicissim insint: ut, *calor & frigus* vicissim insunt eadem *aquæ.*

Quarta, ut ab illo subjecto se mutuo expellant: ut calor expellit frigus ab aqua, & contra

Q. 2. Quare in definitione additur hæc exceptio, nisi alterum insit à natura? R. Quia si alterum insit à natura, non erit necesse, ut vicissim insint eidem subjecto; ideoque unum proprie non debet expellere alterum, quia nihil proprie expellitur ex aliquo, nisi aliquando fuerit in illo: v. g. calor & frigus non insunt vicissim igni, nec ab eo se expellunt, quia calor inest igni à natura & est ab illo inseparabilis.

Contrariorum alia sunt immediata, alia mediata.

Contraria immediata dicuntur, quæ talia sunt, ut ipsorum alterum necessario rebus iis insit, in quibus aptum est fieri, aut de quibus prædicatur: Id est, quæ non habent medium, quod sit subjectum capax.

Medium vocatur hic aliquid, de quo utrumque contrariorum possit negari. Talia contraria sunt *agrum & sanum*, *par & impar*: quia nullum datur subjectum capax ægritudinis & sanitatis, nempe animal, quod nec sit agrum, nec sanum. Item nullus datur numerus, qui nec sit par, nec impar.

Q. 3. Quare additur explicationi, quod sit subjectum capax? R. Quia contraria immediata possunt habere medium incapax; ut inter sanum & agrum medium est *lapis*, qui nec sanus est, nec ager.

Contraria mediata sunt, quorum alterum inesse necesse non est: Id est, quæ habent medium, quod sit subjectum capax: ut, *album & nigrum*, quæ pro medio habent parietem rubrum.

Privantia sunt habitus & privatio illi opposita, ut, *visus & cecitas.*

Habitus, hic dicitur quævis forma, quæ haberi potest.

Privatio est absentia formæ à subjecto capaci, & tempore à natura determinato:

Q. 4. Quare dicitur, in subjecto capaci?

R. Quia absentia formæ à subjecto incapaci non dicitur privatio, sed pura negatio; ut, *lapis* non dicitur privatus visu, sive cæcus, sed tantum non visivus, sive non habens visum.

Q. 5. Cur additur, tempore à natura determinato? R. Quia absentia formæ à subjecto ante tempus à natura determinatum non est privatio, sed mera tantum negatio; ut, *caeculus* ante nonum diem non est cæcus, si verum est ante illum diem naturaliter eum non videre.

Contradictoria sunt, quæ nullum habent medium: Ut, *homo & non homo, album & non album*, denique omnis terminus semel affirmatus, & semel negatus. Nihil enim datur, quod nec sit homo, nec non homo; sed quodcumque assignaveris, erit necessario homo, vel non homo. Excluduntur contraria immediata, quia licet non habeant medium, quod sit subjectum capax, habent tamen aliquod medium, nempe subjectum incapax. At verò contradictoria nullum omnino habent medium.

ARTICULUS II.

De modis prioris & simul.

Modi prioris, id est, quibus unum dicitur altero prius, ab Aristotele assignati sunt quinque.

Primus, quo alterum altero dicitur prius tempore: Sic *Plato fuit prior Aristotele*,

Secundus, quo id dicitur prius, quod non convertitur essendi consequentia, id est quod ab altero recte infertur, sed non vicissim alterum infert. Sic, *unum est prius duobus*, quia licet b ene sequatur, duo sunt, ergo unum est; non tamen vicissim sequitur, unum est, ergo duo sunt. Hoc modo multæ causæ sunt priores suis effectibus: ut *Deus creatura; ferrum gladio; omnis pars suo toto*. Hinc factum est, ut hic modus vocatus sit modus prioritatis naturæ, & quod hoc modo prius est, dicatur altero prius natura: omnis enim *causa est natura prior suo effectui*, quia effectus ab illa dependet.

Tertio modo id dicitur prius, quod ordine alterum præcedit, Sic, *exordium prius est narratione apud Rhetores*.

Quarto modo id dicitur prius, quod dignius est & præstantius, sive ex natura sua, sive nostra æstimatione tantum: ut, *aurum argento, anima corpore, amici alienis*: quod enim pluris facimus, hoc apud nos prius & antiquius dicitur.

Quinto modo id dicitur prius, à quo licet reciprocetur essendi consequentia, est tamen alteri causa ut sit, prior est effectui causa reciproca, id est, quæ ab effectui recte infertur, & vicissim effectum recte infert: ut, *ortus solis, diem; rationale, visibile*. Itaque non quævis causa hoc modo est prior suo effectui, cum multæ ad secundum modum pertineant, sed tantum causa reciproca, ut expressè declarat Aristot. Omnes tamen causæ ad effectus suos comparatæ

sunt illis priores natura, & reducuntur ad hunc vel secundum modum.

Isti modi prioris continentur his versiculis, qui tamen juxta dicta exponendi sunt.

Tempore, natura, prius ordine dic & honore,
Et causa effectis dicitur esse prior.

Modi simul, id est, quibus unum dicitur simul esse cum altero; ab Aristotele tres assignantur.

Primo modo simul dicuntur, quorum generatio est in eodem tempore. *Ita simul sunt omnia, quæ simul nascuntur.*

Secundo modo illa simul dicuntur, quæ cum convertantur essendi consequentia, neutrum tamen ut sit alterum, causa est: ut, *Dominus & servus; Pater & filius.* denique omnia correlativa.

Q. Quomodo hoc verum est, cum pater sit causa filii? R. Hominem, qui est pater, esse causam illius hominis, qui filius est, sed paternitatem non esse causam filiationis. Eodem modo is qui est pater, præcedit eum qui est filius, non tantum natura, sed etiam tempore, at paternitas non præcedit filiationem, neque natura, neque tempore: quod est dicere, non prius est aliquem esse patrem, quam alterum esse filium.

Tertio modo simul esse dicuntur diversæ species ejusdem generis: ut, *homo & brutum.* Dicuntur vero tales species esse simul quo ad generis divisionem & participationem, quæ æqualiter illud dividunt ac participant: ut, *brutum* æque perfecte est *animal*, & æque illud dividit atque *homo.*

Possunt alii modi simul & prioris assignari, sed hoc tantum proposuit Aristoteles. Tres isti modi simul his vulgaris versiculis continentur.

*Tēpore dico simul, quorū generatio nunc est
Quæ convertuntur, dicimus esse simul.
Suntq; simul species genus unū d' stribuentes,*

CAPUT IV.

De proprietatibus prædicamentorum.

Aristoteles in quinque primis prædicamentis ponit aliquot proprietates, ut facilius singula prædicamenta ab aliis distinguantur. Quarum proprietatum explicationem etsi communiter Dialectici singulorum prædicamentorum explicationi conjungant; visum est tamen satius eas subjungere non modo prædicamentis, sed etiam postprædicamentis; quia multe illorum sine postprædicamentorum adminiculo à tyronibus percipi non possunt. Non est autem nobis propositum omnes illas proprietates hic explicare, sed tantum eas, quæ celebriores sunt, & ad captū tyronū accommodatiores, alius spinosioribus prætermisissis.

ARTICULUS I.

Proprietates Substantiæ.

1. **C**omune est omni substantiæ in subiecto non esse. Id est, omnis substantia naturaliter existit sine subiecto inhæsionis. Videatur definitio substantiæ.

2. Com-

2. Competit præterea substantiis & nihil ipsis contrarium esse: Id est, una substantia non est alteri contraria per se.

Contraria per se dicuntur ea, quæ ratione sui, & non ratione alterius, sunt contraria. Talia sunt, *calor & frigus*, & quæcunque continentur definitione contrariorum tradita in post-prædicamentis.

Contraria per accidens dicuntur ea, quæ non ratione sui, sed ratione alterius sunt contraria ut; *aqua & ignis*, sunt enim inter se contraria ratione caloris & frigoris, quæ sunt contraria per se.

Q. 1. Quare substantiæ non sunt inter se contrariæ per se? R. Duabus de causis: 1. quia non sunt oppositæ: ut *brutum* non opponitur *homini*, quia non magis illi repugnat quam lapidi. 2. quia non insunt vicissim eidem subjecto, cum substantiæ nullum habeant subjectum.

Q. 2. Quare in explicatione proprietatis additur illa particula, per se? R. Quia substantiæ possunt esse contrariæ per accidens, ut dictum est.

3. Substantia non videtur suscipere gradus, ut sit magis minusve talis: Id est, Nomina substantiarum non prædicantur cum adverbis magis & minus; ut, non potest dici, *quod Ioannes sit magis homo vel minus quam Petrus*, &c. licet dici possit major & minor.

Excipiunt aliqui ab hac proprietate nomen generalissimum substantiæ, quia secundum Aristotelem prima substantia dicitur magis substantia quam

quam secunda, quia videlicet pluribus substat, ut dictum est cap. 2. art. 1. q. 2. ubi dixi magis substare esse eo loci pluribus substare.

4. Maximè substantiæ hoc proprium esse videtur, idem unumque numero permanens contrariorum esse susceptivum: Id est, una & eadem substantia vicissim suscipere potest contraria tanquam subiectum ultimum: ut, eadem aqua vicissim recipit calorem & frigus.

Additur, tanquam subiectum ultimum, id est quod non est in ulteriori subiecto, quia etiam quantitas recipere potest vicissim contraria; ut superficies albedinem & nigredinem, sed non tanquam subiectum ultimum, cum ipsa etiam alio subiecto, scilicet substantia, recipiatur.

ARTICULUS II.

Proprietates Quantitatis.

Quantitati nihil est contrarium: Id est, una quantitas non est alteri contraria per se: ut, una linea non est contraria alteri linea.

Additur, per se, quia per accidens una potest esse alteri contraria: ut superficies alba, nigra.

2. Quanto magis ac minus esse non competit: Id est, concreta quantitatum non prædicantur cum adverbiiis magis & minus: ut, unum bicubitum non dicitur alio magis vel minus bicubitum.

Q. Quomodo vera est hæc proprietas, cum una linea dicatur magis longa quam altera? **R.** Hæc difficultas varie à variis solvitur. Facillima est eorum solutio, qui dicunt hanc proprietatem non convenire quantitati

tati indeterminatè, id est generali nomine expressæ, qualia nomina sunt, *longum, latum, &c.* sed tantum quantitati determinatæ, id est, speciali nomine expressæ; qualia nomina sunt, *bicubitum, tricubitum, &c.* Quæ expositio fundamentum habet in Aristotele, & tyronum captui valde est accommodata.

3. Proprium quantitatis est maximè æqualitas & inæqualitas: Ratio est, quia solæ quantitates dicuntur per se, id est, ratione sui æquales vel inæquales; alia vero dicuntur æqualia vel inæqualia ratione ipsorum quantitatum: Verbi gratia; *quantitas pedalis est per se æqualis alteri quantitati pedali: lignum vero pedale est æquale alteri ligno pedali ratione quantitatis, quam habet.*

ARTICULUS III.

Proprietas Qualitatis.

Contrarietas in qualitate esse videtur: Id est, qualitas una est alteri contraria per se ut, *albedo nigredini, virtus vitio.*

Convenit hæc proprietas soli qualitati: omnia enim alia, quæ aliquo modo dicuntur contraria, sunt contraria ratione qualitatum.

2. Qualia ipsa gradu suscipiunt, ac magis talia minusve dicuntur: Id est, concreta qualitatis prædicari possunt cum adverbiiis magis & minus: ut, *unum album dicitur magis album quam alterum.*

3. Similia dissimiliaque per qualitates solas dicuntur: Id est, quæcunque dicuntur similia aut dissimilia, dicuntur talia ratione qualitatum suarum: ut, duo parietes albi sunt similes ratione suarum albedinum; paries autem albus & niger sunt dissimiles ratione diversarum qualitatum.

ARTICULUS IV.

Proprietates Ad aliquid.

VNiversa quæ sunt ad aliquid, ad ea dicuntur, quæ convertuntur: Id est, omnia relativa referuntur ad sua correlativa: ut, pater est filii pater, dominus est servi dominus &c.

2. Ea quæ sunt ad aliquid simul natura esse videntur: Verbi gratia, dominus & servus sunt simul natura, duplum & dimidium, pater & filius, &c. Quæ dicantur simul natura, & quomodo hæc proprietas explicanda sit, patet ex c. 3. hujus partis art. 2. in explicatione modorum simul.

ARTICULUS V.

Proprietates Actionis & Passionis.

Suscipit ipsum agere pative contrarietatem: Id est, Actio potest esse contraria actioni, & passio passioni: Verbi gratia: Contrariantur inter se calefacere & frigefacere, calefieri & frigesieri.

Nota secundum communem explicationem, non nisi per accidens contrarietatem convenire actioni & passioni, scilicet ratione qualitatum, quæ per illas producuntur, & in subjecto recipiuntur: ut, *calesfactio & frigesfactio*, ratione caloris & frigoris: absolute tamen hæc proprietates illis tribuitur, quia illa contrarietas ipsorum nomine exprimitur, quando quidem ab illis qualitibus contrariis nomen sortiantur, ut patet ex nominibus calesfactionis & frigesfactionis. Quæ ratio dialectico sufficiat, quamvis non desint aliæ graviores ab ipsa rei natura petitæ.

2. Gradus quoque suscipiunt, ut magis atque minus dicantur: Id est, Concreta actionis & passionis quædam possunt prædicari cum adverbis magis & minus: ut, *unum agens dicitur magis agere, calesfacere, frigesfacere &c. quam aliud.*

Cæteri prædicamentis nullas assignavit proprietates Aristoteles, non quia nullæ assignari possint, sed quia faciliores sunt, & minoris momenti.

TRACTATUS SECUNDUS.

De Enuntiatione.

HÆtenus de simplicibus Terminis actum est, nunc de Enuntiatione, quæ ex illis componitur, agendum. Dividetur hic Tractatus etiam in tres partes. In prima agetur de structura ipsius Enuntiationis, varietate, proprietatibus. Secunda tradet definiendi dividendi que rationem. Tertia suppositionem explicabit.

TRACTATUS SECUNDI
PARS PRIMA.

De Enuntiationis structura, varietate,
proprietasibus.

Complectitur hæc pars tria capita. In 1. agitur
de partibus enuntiationis. In 2. de ipsa enun-
tiatione, ejusque varietate. In 3. de quibusdam e-
nuntiationis proprietasibus.

CAPUT I.

De partibus Enuntiationis.

OMnis enuntiatio constat nomine & verbo :
De his ergo duobus hoc capite agitur. Tr. 1. p.
I. c. I. art. 1. aliter id ipsum dictum fuit, nempe con-
stare subiecto & prædicato.

ARTICULUS I.

De Nomine.

Nominis ab Aristotele hæc proponitur defi-
nitio.

Nomen est vox significativa ex instituto, sine
tempore, cujus nulla pars significat separata :
ut: homo, & candidor, &c.

Significare sine tempore est, præter prin-
cipale significatum nullam primam tempo-
ris differentiam denotare. E contra, signifi-
care cum tempore est, præter principale signifi-
catum aliquam primariam temporis differentiam si-
mul denotare.

Primariæ autem temporis differentiæ sunt
tres, præteritum, præsens, futurum.

Per hanc ergo partem excluditur verbum : nam
amo, verbi gratia, præter principale significatum
quod est amor, denotat tempus præsens.

Ista nomina, hora, dies, mensis, &c. significans quidem principaliter tempus, sed præter principale significatum non denotant ullam differentiam temporis, ideoque significant sine tempore. Hæc vero prandium, coena, &c. præter principale significatum, quod est refectio corporis, denotant aliquod tempus, nempe meridiem, aut vesperam, non tamen denotant primariam determinati temporis differentiam, scilicet præsens, præteritum, aut futurum, & sic etiam significant sine tempore.

Per illam partem (cujus nulla pars significat separata) excluditur *oratio*: ut, *homo albus*: quia ejus aliqua pars seorsum, & per se aliquid significat. Non tamen excluditur nomen compositum: ut, *respublica, jusjurandum*, &c. quia licet ejus partes aliquid per se singulæ significant, si sumantur, uti integræ dictiones, nihil tamen separatim significant, si sumantur ut partes unius dictionis compositæ, sed sunt instar syllabæ, quæ propriam significationem non habet.

Addendæ sunt huic definitioni ex Aristotelis mente duæ particulæ, nempe FINITA & RECTA, ut sic reddatur integra definitio.

Nomen est vox ex instituto significativa sine tempore finita & recta, &c.

Vox finita dicitur, cui nulla præfigitur negatio: ut, *homo*.

Vox infinita est, cui præfigitur negatio, id est, particula negativa, *non*: ut, *non homo*. Tales voces à definitione nominis rejiciuntur.

Vox recta dicitur, quæ est nominativi casus, vel indicativi modi & præsentis temporis. Excluduntur per hanc partem casus obliqui: ut, *hominis, homini*, &c.

Ratio, cur Aristoteles illos excluderit, est, quia cum verbo non possunt absolvere enunciationem.

ARTICULUS II.

De Verbo.

Verbum est, quod insuper tempus significat, & cujus nulla pars seorsim significat, atque semper eorum, quæ de alio dicuntur, est signum: ut, *amo, habeo, &c.*

Significare tempus, est significare cum tempore; quod superiori articulo explicatum est. Per hanc partem excluditur nomen.

Verbum esse semper notam eorum, quæ de alio dicuntur, est verbum esse semper prædicatum, quando in enuntiatione significativè ponitur. Dico, quando significativè, id est, pro significato ponitur, quia quando non ponitur pro significato, sed pro ipsamet voce, potest esse subiectum: ut, si dico, *amo est verbum.*

Distinguunt autem hic Dialectici duplex prædicatum, unum formale, quod est ipsa copula; alterum materiale, id scilicet, quod mediante copula dicitur de subiecto: ut hic, *homo est animal*, prædicatum materiale est, *animal*, formale verbum, *est*: cum ergo dicitur verbum esse prædicatum, intelligitur vel formale tantum; ut ibi, *homo est animal*, vel formale & materiale simul; ut hic, *ioannes ambulat.*

Addendæ sunt etiam huic definitioni ex Aristotelis mente duæ illæ particulæ, **VOX FINITA**, & **RECTA**. Unde excluduntur verba infinita; ut, *non valet, non currit*. Idem casus obliqui verborum, id est, alterius modi quam indicavi, vel alterius temporis quam præsentis. Ratio cur Aristoteles eos excluderit, est, partim quia cum nomine non faciunt enuntiationem, ut verba infinitivi modi.

partim quia veritas enunciationis, quam componunt, pendet à veritate enunciationis de presenti, ut hæc enuntiatio vera est, *Aristoteles audivit Platonem*, quia hæc aliquando fuit vera. *Aristoteles audivit Platonem.*

CAPUT II.

De ipsa Enunciatione ejusque veritate.

In hoc capite quatuor declarabuntur: 1. quid sit oratio, 2. quæ illius species, 3. quid enuntiatio, 4. quas habeat species.

ARTICULUS I.

De Oratione & duabus ejus speciebus, imperfecta & perfecta, & hac multiplici.

Oratio est vox significativa, cujus partium aliqua separata significat ut dictio, sed non ut affirmatio vel negatio: ut, *homo albus, homo est animal.*

Significare ut dictio, est, significare sine vero aut falso: ut, *homo.*

Significare ut affirmatio vel negatio est significare cum vero aut falso; ut, *homo est animal.*

Adverte quod dicatur, cujus aliqua pars significat ut dictio, non vero omnis, quia alioquin excluderetur enuntiatio composita: verbi gratia, *homo est rationalis, & brutum est irrationale*, cujus aliqua pars significat ut affirmatio, scilicet, *homo est rationalis*, & sic non omnis ejus pars significat, ut dictio. Verum est interim, quod aliqua etiam illius pars significet, ut dictio, nempe *homo, rationale &c.* Tantum ergo ostenditur ad orationem requiri vel sufficere, ut aliqua ejus pars significet saltem ut dictio, & licet
nulla

nulla significaret ut affirmatio vel negatio, nihilominus adhuc fore orationem.

Oratioñ alia est imperfecta, alia perfecta.

Oratio imperfecta est, quæ gignit imperfectum sensum in animo audientis. ut, *homo albus.*

Oratio perfecta est, quæ gignit perfectum sensum in animo audientis. ut, *homo est animal.*

Perfecta dividitur in enunciativam & non enunciativam.

Oratio Perfecta non Enunciativa est, in qua nec est verum, nec falsum, ut *sis felix.*

Dividitur in quinque species, Interrogativam, ut, *Est aliquid quo tendis?* Vocativam ut, *Huc ades ô Melibæe.* Imperativam, ut *Mature fugam.* Deprecativam; ut, *Aspice nos.* Optativam ut, *utinam Philosophus evadam.*

ARTICULUS II.

De Enunciatione, ejusque divisione ac subdivisione.

ENunciatio est oratio, quæ vera est vel falsa, ut, *homo est rationalis, homo non est rationalis.*

Vera dicitur, quæ est conformis rei significatæ, ut prior.

Falsa, quæ est difformis rei significatæ: ut posterior.

Adverte propositionem, de qua dictum est tract. I. p. I. c. I. a. I. idem esse quod enunciationem simplicem, cum eo discrimine, quod ibidem in annotatione indicatum est, & ideo quæ de propositionis partibus ibi dicta sunt, enunciationi debent accommodari.

Adverte prætera prædicationem, de qua etiam dictum est tract. 1. p. 1. c. 2. idem esse quod enunciationem simplicem affirmativam. Unde quæ de prædicationis varietate ibi dicuntur, etiam ad enunciationem transferri possunt. Tantum ergo illic omissa hic proponentur.

Dividitur enuntiatio in simplicem & compositam, sive in Categoricalam & Hypotheticam.

Enunciatio simplex est aliquid dicens de aliquo, aut aliquid ab aliquo removens: Id est, quæ unum prædicatum de uno subjecto affirmat, vel negat; sive, quæ constat uno prædicato & uno subjecto, tamquam præcipuis partibus: ut, *homo est animal.*

Enunciatio composita est, quæ constat pluribus enunciationibus simplicibus tanquam præcipuis partibus: ut, *Si dies est, lux est.*

Subdividitur primò enunciatio simplex in affirmationem & negationem.

Affirmatio est alicujus de aliquo enuntiatio: Id est in qua prædicatum affirmatur de subjecto, ut, *Aristoteles est philosophus.*

Negatio vel enunciatio, qua aliquid ab aliquo dimovetur: Id est, in qua prædicatum removetur à subjecto: ut, *viciium non est amandum.*

Subdividitur secundò enunciatio simplex in universalem, particularem, indefinitam, singularem.

Enunciatio universalis est, cum aliquid omni aut nulli inesse significat:

Id

Id est, cujus subjecto præfigitur signum universale: ut, *Omnis homo est disciplina capax*: *Nullus homo est irrationalis*.

Quid & quotuplicia sint signa, dictum est tract. 1. p. 1. c. 1. a. 3.

Enunciatio particularis est, cum alicui, aut non alicui, aut non omni inesse significatur. Id est, cujus subjecto præfigitur signum particulare: ut, *aliquod animal est rationale*.

Illam particulam, NON ALICUI, invertenda est, quasi dictum esset, *alicui non*: nam, *non alicui*, si negatio intelligitur præposita, idem valet, quod, *nulli*, ut infra dicitur, & sic designaretur enunciatio universalis, non particularis. Illud ergo membrum sensu idem est cum sequenti, *non omni*.

Enunciatio indefinita est, cum quid inesse vel non inesse sine universali particularive nota significatur: Id est, cujus subjecto communi nullum signum præfigitur: ut, *homo est animal*.

Debet esse subjectum commune; quia si sit singulare, non erit indefinita, sed singularis: ut *Petrus est homo*.

Debet quoque illud subjectum commune summi personaliter, si enim aliter sumatur, potius reducetur ad singularem; sed hoc reservetur in tractatum de suppositione.

Enunciatio singularis est, quæ constat subjecto singulari: ut, *Petrus ambulat*.

Inter has divisiones illud est discriminis, quod prima dicatur dividere enuntiationem secundum substantiam, secunda secundum qualitatem, tertia secundum quantitatem. Unde prima divisione re-

Respondetur quæstioni factæ *quæ*; secundâ, quæstioni factæ per *qualis*, tertiâ quæstioni factæ per *quanta*. Ut *quæ* est hæc propositio. *Omnis homo est animal*? R. Simplex, *qualis*? affirmativa, *quanta*? univ. falis.

ANNOTATIO.

Non agitur hic de enunciatione composita, de qua tamen multa utilia dici possent, quia tum tempus tradenda dialectica prescriptum non sufficiat ad omnia: tantum explicatur syllogismus categoricus, id est præcipuus Eandem ob causam præmittuntur enuntiationes exponibiles & modales.

CAPUT III.

De quibusdam Enunciationis proprietatibus.

DUæ sunt proprietates enuntiationis, oppositio & æquipollentia, quæ hoc capite explicabuntur.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplices sint oppositæ.

Oppositæ sunt affirmatio, & negatio ejusdem de eodem non æquivoce: Id est, oppositæ sunt affirmatio & negatio, quæ constant eodem subjecto & prædicato non æquivoce sumpto: ut, *omnis homo est doctus, nullus homo est doctus.*

Additur, **NON** ÆQUIVOCE: quia si subjectum vel prædicatum sumatur in diversa significatione, tollitur oppositio: unde hæc non sunt oppositæ, *canis latrat, canis non latrat*, si subjectum, *canis* semel sumatur pro cane domestico, & semel pro constellatione.

Oppositæ sunt triplices, contrariæ, sub contrariæ, contradictoriæ.

Contrariæ sunt, quarum una de universali enunciat competere, altera non competere ; Id est sunt oppositæ universales: ut, *Omnis homo est doctus, Nullus homo est doctus.*

Subcontrariæ sunt in quibus de universali non universaliter enuntiat. Id est, sunt oppositæ particulares, vel indefinitæ: ut, *Aliquis homo est doctus, Aliquis homo non est doctus.*

Contradictoriæ sunt, quarum altera universaliter significat de eodem, altera vero non, Id est, sunt oppositæ, quarum una est universalis, altera particularis, aut indefinita: ut, *Omnis homo est doctus, Aliquis homo non est doctus.*


Q. Sub quo membro continentur oppositæ singulares? ut, *Petrus est doctus, Petrus non est doctus?* R. Sub nullo membro ab Aristote definito comprehendendi ; quia tantum describit oppositas constantes subiecto universali, ut patet ex definitionibus singularum Specierum. Revera tamen oppositæ singulares sunt contradictoriæ, quia ipsis convenit lex contradictoriarum, ut statim patebit.

Oppositis adjungi solent subalternæ, quæ sic definiuntur.

Subalternæ sunt duæ propositiones constantes eodem prædicato & subiecto, ejusdem qualitatis, sed diversæ quantitatis, id est, utraque est affirmativa, vel est utraque negativa, sed una est universalis, altera particularis: ut, *Omnis homo est animal, Aliquis homo est animal.*

Universalis dicitur *subalternans*, particularis *subalternata*. Has propositiones certum est non opponi, cum non sint affirmatio & negatio.

TABULA OPPOSITARUM.



ARTICULUS II.

Leges subalternarum & oppositarum.

Subalternis & singulis oppositis sua lex assignatur, ostendens quomodo ad invicem se habent secundum veritatem & falsitatem.

Lex Subalternarum.

Ex veritate subalternantis sequitur veritas subalternatæ; non tamen ex falsitate

te subalternantis sequitur falsitas subalternatæ.

Econtra.

Ex falsitate subalternatæ sequitur falsitas subalternantis; non tamen ex veritate subalternatæ sequitur veritas subalternantis.

Prior pars declaratur exemplo. Quia hæc est vera: *Omnis homo est animal*, hæc etiam est vera: *Aliquis homo est animal*. Non tamen ex eo quod hæc falsa sit: *Omnis homo est probus*, sequitur etiam hæc falsam esse: *Aliquis homo est probus*.

Declaratur item pars posterior. Quia hæc est falsa. *Aliquis homo est irrationalis*, hæc etiam est falsa, *Omnis homo est irrationalis*. Non tamen eo quod hæc vera sit, *Aliquis homo est probus*, sequitur etiam hæc veram esse *Omnis homo est probus*.

Q. Quæ est ratio hujus legis? R. Quia subalternans includit subalternam, & aliquid amplius; ideoque plus requiritur ad ejus veritatem, quam ad veritatem subalternatæ, & minus ad falsitatem.

Lex Contrariarum.

Contrariæ non possunt esse simul veræ, possunt tamen simul esse falsæ, *Omnis homo est probus*, *Nullus homo est probus*.

Q. Quæ est ratio hujus legis? R. Si contrariæ essent simul veræ, sequeretur contradictorias esse simul veras: Nam ex veritate duarum contrariarum, quæ sunt universales, rectè sequitur veritas duarum particularium, quarum affirmativa contradicit universali negativæ, & negativa affirmativæ, ut videre est in tabula supe-

periori. Ex falsitate autem contrariarum non sequitur falsitas particularium, ideoque non sequitur contradictorias esse simul falsas.

Lex Subcontrariarum.

Subcontrariæ possunt esse simul veræ, non simul falsæ. Simul veræ sunt hæ: *Aliquis homo est doctus, Aliquis homo non est doctus.*

Q. Quæ rursus hujus legis ratio? R. Si subcontrariæ essent simul falsæ, contradictoriæ essent etiam simul falsæ, per legem subalternarum: dum autem simul sunt veræ, non sequitur contradictorias esse simul veras, ut patet ex eadem lege.

Lex Contradictoriarum.

Contradictoriæ nec simul veræ, nec simul falsæ esse possunt.

Hujus legis nulla ratio dari potest, cum sit lumine naturæ cuius notissima: æquivalet enim his duobus axiomatibus: *Idem non potest simul esse & non esse, & Quodlibet est vel non est.*

ARTICULUS III.

De Equipollentia.

ENunciationes Equipollentes sunt diversæ enuntiationes constantes eodem prædicato & subjecto, sed diversis signis idem significantes: ut hæ, *Aliquis homo non est temperans Non omnis homo est temperans.*

Possunt autem oppositæ, & subalternæ reddi sibi invicem æquipollentes appositione particulæ negativæ, *non*, vel ante subjectum, vel post subjectum, vel ante & post subjectum, ut præscribitur tribus his regulis:

Prima regula equipollentia.

Si Subjecto enunciationis universalis postponatur negatio, reddetur æquipollens suæ contrariæ: ut ista, *Omnis homo est animal*; reddetur æquipollens suæ contrariæ hoc modo, *Omnis homo non est animal*, hæc enim æquivalet isti, *Nullus homo est animal*. Rursum ista, *Nullus homo est animal* reddetur suæ contrariæ æquivalens, si dicas, *Nullus homo non est animal*.

Secunda regula equipollentia.

Si subjecto alicujus enunciationis præponatur negatio, reddetur æquipollens suæ contradictoriæ: ut ista, *Aliquis homo est probus*, reddetur æquivalens suæ contradictoriæ, si dicas, *Non aliquis homo est probus*, quæ sensu eadem est cum hac, *Nullus homo est probus*.

Tertia regula equipollentia

Si Subjecto enunciationis præponatur simul & postponatur negatio, reddetur æquipollens suæ subalternæ ut ista, *Aliquis homo est animal*, fiet æquivalens huic, *Omnis homo est animal* si dicatur, *Non aliquis homo non est animal*.

Leges istæ hoc versiculo vulgo comprehenduntur.

Præ contradiis, post contra, præpostque subalter

TRACTATUS SECUNDI
PARS SECUNDA.

De definiendi dividendique ratione.

Definitio & divisio, si præcisè sumantur, non sunt enunciationes, sed orationes imperfectæ. Quia tamen per enunciationes tradi solent, imo sæpe nomen definitionis ac divisionis, pro integris enunciationibus usurpatur, ut paulò post patebit, eas enunciationi annectimus. Dividemus hanc partem in duo capita. In priori agetur de definitione, in posteriori de divisione.

CAPUT I.

De Definitione.

Hoc capite duo explicabuntur. Vnum, quid & quotuplex sit definitio, alterum, quæ leges definitionis.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit definitio.

D'Efnitio est oratio naturam alicujus explicans: ut hæc oratio, *Animal rationale*, respectu hominis; & hæc, *quod de multis, apium est prædicari*, respectu universalis. Itaque definitio propriè loquendo non est integra enunciatio, in qua oratio rem explicans de re ipsa prædicatur, sed ipsa sola oratio, quæ rem explicat, sive talis enunciationis prædicatum: ut hoc totum non est definitio hominis propriè loquendo: *Homo est animal rationale*; nec istud totum est definitio universalis:

Universale est quod de multis aptum est predicari, sed istæ imperfectæ orationes, *Animal rationale*; Et quod de multis aptum est predicari: enuntiationes vero illæ magis proprie vocarentur enuntiationes definitivæ, quam definitiones. Vulgariter tamen & passim definitio etiam sumitur pro tali integra enuntiatione, quia cum definitio solitariè sumpta sit imperfecta oratio, ut integer sensus conficiatur, quærenti definitionem respondetur per talem enuntiationem.

Definitum est id, quod oratione explicatur, ut, *homo* respectu hujus orationis, *animal rationale*,

Definitionum alia definitio quid nominis, alia definitio quid rei.

Definitio quid nominis est, quæ alicujus vocis significationem exponit: ut si dicas: *Dialectica est nomen significans artem bene differendi*, Huc revocantur definitiones petitæ ab etymologia nominis: ut, *Consul est qui consulit patria*.

Definitio quid rei est, quæ rei per nomen significatæ naturam explicat: ut si dicas, *homo est animal rationale*.

Definitionum quid rei alia est definitio propriè dicta, seu essentialis; alia descriptio.

Definitio essentialis est, quæ datur per sola essentialia definiti: ut, *animal rationale*, respectu hominis.

Definitionum essentialium una est physica; altera metaphysica seu logica;

Definitio essentialis physica est, quæ datur per materiam & formam: ut si dicas, *homo est quoddam compositum ex corpore & anima rationali*.

Definitio essentialis metaphysica sive logica est, quæ datur per genus & differentiam, ut si dicas, *homo est animal rationale.*

Q. Quare prior dicitur physica, Posterior metaphysica vel logica? R. Prior dicitur Physica, quia materia & forma, quibus constat, vocari solent partes essentielles physicae, eo quod de illis, physicus agat. Posterior dicitur Metaphysica vel Logica, quia genus & differentia, quibus constat, vocari solent partes essentielles metaphysicae vel logicae, eo quod de illis agat metaphysicus vel logicus.

Descriptionis est, quæ datur per aliquid, quod non est essentialis definitio: ut si dicas, *Homo est animal risibile.*

Descriptionum alia causalis, alia non causalis.

Descriptionis causalis est, quæ datur per causam extremam.

Causa extrema est, quæ non est pars rei, cujus est causa.

Illam est duplex, efficiens; ut, *Sol luminis*: & finalis: ut, *sanitas deambulationis*. Itaque.

Descriptionis causalis est etiam duplex: una datur per causam efficientem, ut si dicas, *dies est motus solis supra terram*: nam motus solis supra terram, est causa efficiens diei. Altera datur per causam finalem: ut si dicas, *Homo est animal creatum ad fruendum æterna beatitudine*, nam frui æterna beatitudine, est finis hominis.

Q. 1. An definitio constans partibus phy-

physicis non possit vocari causalis? R. Possè; si vim nominis tantum attendamus, quia datur per causas internas, quæ sunt materia & forma. Sic tamen vocari non solet, quia habet nomen dignius, nempe definitionis essentialis, & per causalem vulgò intelligitur ea, quæ non est essentialis, daturque per causam externam.

Descriptio non causalis est etiam duplex: una datur per genus & proprietatem convertibilem cum definito: ut si dicas, *Homo est animal risibile*. Altera datur per genus & plura accidentia, quæ simul collecta cum definito convertuntur, ut si dicas, *Homo est animal bipes, implume.*

Q. 2. An possit aliquo sensu dici omnem definitionem constare genere & differentia? R. Possè dici, intelligendo per genus & differentiam; illa etiam quæ subeunt vicem generis & differentiæ. Omnis enim definitio constat genere & differentia, vel subeuntibus vicem eorum, id est, uno termino communiore, & alio vel aliis ita restringentibus, ut soli definito conveniat, ut patet ex omnibus exemplis allatis.

Ut autem noverint tyrones in omni proposita definitione singula suis muneribus, nominibusque distinguere, advertant in omni enunciatione definitiva hunc esse ordinem.

Id quod sensu præcedit copulam, sive ipsum subjectum, est definitum.

Terminus simplex, qui sensu immediatè sequitur copulam, est genus definiti; quod sæpissimè subicitur.

Id quod deinceps sequitur, est differentia.

ARTICULUS II.

Quæ sunt Leges definitionis.

EX multis legibus definitionis, quæ ex Aristotele & aliis afferri possent, tres tantum præcipuas proponemus.

1. Definitum non potest ingredi suam definitionem. Ratio est, quia definitio debet esse clarior definito, idem verò non potest esse clarius seipso.

Hinc collige relativa, *Qui, Quæ, Quod*, in enunciationibus definitivis immediate] copulæ postposita non referre ipsum definitum; quia tunc definitum ingrederetur suam definitionem, sed genus definiti, quod subicitur ut cum dicitur: *Genus est, quod de multis, &c.* relativum, quod non refert genus: tunc enim esset sensus. *Genus est Genus, quod &c.* sed refert *universale*, & sic constituitur: *Genus est universale, quod &c.* Idem iudicium est de cæteris.

2. Definitio debet esse convertibilis cum definito: Id est, non debet magis aut minus latè patere. Hinc istæ definitiones hominis sunt vitiosæ *Corpus animatum sentiens, Animal literatum.*

3. Definitio nihil contineat superfluum: Id est, nihil præter ea, quæ necessaria sunt, ut definitio sit convertibilis cum definito; nisi fortè illa non essent satis clara: tunc enim quod illis majoris explicationis gratia addetur, non erit superfluum. Vitiosa ergo est ista hominis definitio, *Animal rationale bipes.*

CAPUT II.

De divisione.

ETiam duo de divisione explicabuntur, scilicet quid & quod duplex divisio, tum que divisionis leges.

ARTICULUS I.

Quid & quod duplex divisio.

Divisio est oratio totum in suas partes distribuens: ut, *hominis alia pars corpus, alia pars anima.*

Divisio generaliter sumpta duplex est, una divisio nominis, altera rei.

Divisio Nominis est, qua distinguitur multiplex significatio termini æquivoci, Hanc divisionem distinctionem potius quam divisionem Dialectici vocare solent.

Est autem duplex, una divisio æquivoci purè in sua æquivocata: ut, *nomen canis aliquando significat animal latrans, aliquando sidus cœlestis.* Altera divisio analogi in sua analogata: ut: *Hominum alius verus, alius pictus.*

Divisio rei est, qua res aliqua vel terminus univocus in suas partes dividitur: ut, *Animalium aliud homo, aliud brutum.*

Divisio rei est triplex, triplicis nempe totius, integralis, essentialis, universalis.

Divisio Totius Integralis est, qua totum integrale distribuitur in partes integrantes:

ut, *Hominis alia pars, caput, alia brachia, alia venter, alia pedes &c.*

Dicuntur autem partes integrantes, quæ sua quantitate totius quantitatem constituunt. Hanc divisionem multi partitionem potius quam divisionem vocandam censent.

Divisio Totius Essentialis est, qua totum essentialiter dividitur in partes sibi essentielles: ut, *Hominis una pars corpus, altera anima.*

Divisio Totius Universalis est, qua aliquod magis commune dividitur in minus communia: ut *Animalium aliud homo, aliud brutum.*

Divisio Totius Universalis admodum varia posset assignari, sed potissimum quadruplex in usu est.

Prima est generis in species: ut, *Animalium aliud homo, aliud brutum.* Ad hanc revocatur divisio speciei in individua, differentiarum in species vel individua; generis in differentias; differentiarum in differentias.

Secunda est accidentis in subjecta, cum videlicet divisum est accidens membrorum dividendum: ut, *alborum aliud, lilium aliud nix, &c.*

Tertia subjecti in accidentia, cum nempe membra dividenda sunt accidentia divisi: ut, *Hominum alii probi, alii improbi.*

Quarta accidentis in accidentia, quando divisum & membra dividenda sunt accidentia ejusdem subjecti: ut, *Dulcium aliud album, aliud flavum, &c.*

ARTICULUS II.

Quæ sunt leges divisionis.

Inter multas leges divisionis quatuor sunt præcipue.

1. Divisum debet plus continere quàm singula membra dividenda.

Hinc vitiosa est ista divisio, *Animalium aliud sensitivum, aliud homo, aliud brutum*, nam sensitivum, quod est unum è membris dividendis, est convertible cum diviso,

5. Divisum debet adæquari membris dividendis simul sumptis.

Vitiosa est igitur hæc divisio: *Viventium aliud homo, aliud brutum*: vivens enim, quod est divisum, latius patet quàm homo & brutum simul, quandoquidem etiam complectatur plantam.

3. Omnia membra dividenda debent inter sese pugnare.

Unde inepta est hæc divisio: *Hominum alius probus, alius literatus*,

4. Membra dividenda sint pauca.

Undè malè sic divideretur vivens: *Viventium aliud homo, aliud equus, aliud leo, aliud canis, aliud quercus* &c. sed dividendum est prius in species generales, & hæc rursus in alias, donec veniatur ad id, quod quæritur: ut *Viventium aliud animal, aliud planta, Animalium aliud homo, aliud brutum*, &c.

TRACTATUS SECUNDI
PARS TERTIA.

De Suppositione.

TRaëtati de enunciatione traëtatum de suppositione subnectimus, quia hac affectio, etsi terminis simplicibus conveniat, non tamen convenit illis nisi in oratione, maxime q̄ in enunciatione positus, ut ex dicendis patebit. Præmittimus autem hunc traëtatum traëtati de argumentatione & syllogismo, quia ad cognoscendas regulas & vitia argumentationis, ac præcipua syllogismi, eius notitia prorsus est necessaria. Alias autem vocum affectiones, non quia non utiles, sed quia minus necessariae ad institutum, ob rationem alibi commemoratam præmittimus.

Dividitur hac pars in duo capita. In priori agitur de generibus suppositionum. In posteriori de speciebus.

CAPUT I.

De generibus suppositionum.

TRia genera suppositionum vulgo recensentur, quæ explicabuntur hoc capite, præmissa suppositionis communi definitione.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex suppositio?

Suppositio est usurpatio vocis in oratione positæ pro aliquo : ut hic, *Omnis homo est ani-*

animal, vox illa, *homo*, usurpatur pro Joanne, Petro, & reliquis hominibus. Suppositio aliter vocari solet *acceptio vocis*.

Q. 1. Unde dicta est suppositio? R. Ex eo, quod vox in oratione plerumque supponatur, id est, substituatur in locum alterius, nempe rei per ipsam significatæ: Cum enim, ut ait Aristoteles, res ipsas expromere, aut in disputationem aut colloquium adducere non possimus, vocibus loco rerum utimur, & in harum locum illas subrogamus, sicut ad numerandum uti solent mercatores calculis æneis pro numeris aureis.

Q. 2. Estne igitur magna suppositionis cognoscendæ necessitas? R. Maxima, tum ad exprimendos proprios conceptus, tum ad alterius intelligendos. Sicut enim qui ignorat, quid quoque loco calculus valeat, nec ipse calculis ad numerandum uti, nec alium utentem potest intelligere, & facillimè decipitur, ita, qui nescit pro quo vox in quaque oratione accipiatur, nec ipse mentem suam exponere, nec alterius conceptum assequi poterit, ac facillimè circumvenietur.

Q. 3. Quare dictum est; plerumque vocem orationi insertam substitui in locum alterius? R. Quia, ut dicitur proximo articulo, vox interdum accipitur pro se ipsa, quo casu non substituitur in locum alterius. Dicitur tamen etiam tunc supponi, extensa verbi istius significatione ad quamcunque vocis acceptionem.

Triples est generatim suppositio, Materialis, Simplex, Personalis, quæ vulgò genera acceptionis aut suppositionis vocantur.

ARTICULUS II.

De Suppositione materiali.

Suppositio Materialis est acceptio vocis pro seipsa: ut cum dico, *Homo est dictio dissyllaba*, vox *homo* accipitur pro seipsa, id est, pro ipsamet voce, non autem pro significato.

Q. 1. Quare ista acceptio dicitur materialis? **R.** Quia per illam vox accipitur pro materia nominis seu termini, quæ sunt literæ & syllabæ; nomen enim significativum constat duobus, ipsa voce, & significatione: vox est velut materia, significatio velut forma.

Q. 2. Quo alio nomine vocatur ista suppositio? **R.** Græco vocabulo Latinis etiam Dialecticis familiari dicitur *technica*; quasi dicas, artificiosa vel dolosa; quia nimirum ista suppositio est ad fallendum apta, eo quod dictum de voce facile accipitur tanquam dictum de re significata, & sic sophistæ illa velut arte quadam & fraude ad technas & captiones utuntur.

Q. 3. Quibus notis dialectici hanc suppositionem indicare solent? **R.** Duabus. Una est articulus Græcus τὸ, id est, *illud*, quem articulum sæpè proponunt voci, quam materialiter volunt accipi: ut, τὸ *animal*, τὸ *homo*, quasi dicas, illa vox *animal*, illa vox *homo*. Altera est particula *li*, qua graves quidam authores familiariter utuntur, ut, *li animal*, *li homo*. Quæ particula æquivalet articulo Græco, & puto esse antiquum articulum Gallicum, quo Parisienses etiam in scholis utebantur.

ARTICULUS III.

De suppositione simplici.

SUPPOSITIO Simplex est acceptio vocis pro suo immediato significato tantum, id est, pro natura communi, vel conceptu communi. Ita sumi dicitur subjectum hujus enunciationis, *Homo est universale*, non enim significatur, quod Joannes, vel Petrus, vel quispiam alius singularis homo sit universale; hoc enim falsum esset; sed quod homo in communi sit universale.

DICTUM est: PRO NATURA COMMUNI, Vel Conceptu Communi, quia in talibus propositionibus quidam dicunt subjectum sumi pro natura communi, alii vero docent illud sumi tantum pro conceptu communi. Sed hæc difficultas altioris est considerationis, & omnino Dialecticis prætereunda, præsertim cum voces illæ quæ dicuntur sumi simpliciter, sumi etiam possint technice sive materialiter, sensu longe faciliori & dialecticis accommodatiori, potest enim, imo & solet, apud Dialecticos subjectum allatæ propositionis sumi pro ipsa voce, ut sit sensus, *homo est universale*, id est, illa vox, *homo*, est universale, quem sensum in tractatu de universalibus semper secuti sumus, omnium prope Dialecticorum more.

Idem esto iudicium de subjectis cæterarum propositionum, in quibus aliqua proprietas dialectica, ut ajuræ, subjecto tribuitur: ut, *Homo est species, animal est genus*.

ARTICULUS IV.

De suppositione personali.

SUPPOSITIO Personalis est acceptio vocis pro mediato significato, id est, pro inferioribus vel denominatis. Sic accipitur subjectum hujus propositionis, *Omnis homo est animal*, accipitur enim pro Joanne, Petro, & cæteris, qui sunt inferiora hominis, cum sensus sit, *Joannes est animal*, & *Petrus est animal*, &c. item subjectum hujus, *Omne album est substantia*, accipitur enim pro pariete, nive, lacte, & reliquis, quæ sunt denominata *albi*.

Q. Quomodo differunt inferius & denominatum? R. Inferius dicitur id, cui aliquis terminus magis communis essentialiter & in quid tribuitur, *ut individua respectu speciei, species respectu generis*.

Denominatum vero est id, cui aliquis terminus connotativus accidentaliter tribuitur: *ut, paries, nix, &c. respectu albi*; huc revocari possunt species vel individua comparatione differentia essentialis, quia differentia etsi prædicetur essentialiter, est tamen comparatione speciei & individuum terminus connotativus.

Ad deprehendendam acceptionem personalem ponitur hæc regula.

Omnis vox, cui præponitur vel præponi potest, manente eodem sensu, aliquod signum, accipitur personaliter, ut subjectum istus propositionis, *Omnis homo est animal*, quia illi præponitur signum, *omnis*: & istius, *Homo est probus*: quia illi præponi signum potest particulare.

lare, manente eodem sensu, hoc modo, *Aliquis homo est probus.*

Ex his suppositionum generibus desumitur hæc ad argumentandum regula.

In argumentatione non licet mutare genus acceptionis, id est, non licet unam & eandem vocem semel accipere materialiter, & semel simpliciter vel personaliter, &c. unde vitiosum est hoc argumentum, *Homo est dictio dissyllaba, omnis homo est animal, ergo animal est dictio dissyllaba*, quia homo in prima propositione sumitur materialiter, in secunda personaliter.

CAPUT II.

De speciebus suppositionum.

Suppositio personalis dividitur in quatuor species, universalem, copulatam, determinatam, & confusam, quæ aliis nominibus vocantur distributiva, collectiva, disjunctiva, disjuncta. Et ab his vox aliqua dicitur accipi universaliter seu distributive, copulativim seu collective, determinate seu disjunctive, confuse seu disjunctim.

Hæ suppositiones, etsi (ut dictum est) sint species suppositionis personalis, passim tamen absolute vocantur species suppositionis, sicut priores genera.
De singulis hoc capite breviter agetur.

ARTICULUS I.

De suppositione universali seu distributiva.

Suppositio Universalis est acceptio vocis pro inferioribus, vel denominatis copulative enumerandis.

Di-

Dicuntur autem aliqua enumerati copulativè, quando enumerantur per conjunctionem copulativam copulativè sumptam. Id est, connectentem integras enunciationes, ita sumitur subjectum hujus propositionis. *Omnis homo est animal*: sic enim explicatur, *Ioannes est animal, & Petrus est animal, & Paulus est animal, & sic de cæteris*: ubi conjunctio copulativa, &, connectit integras enunciationes.

Suppositio Universalis dividitur primo in absolutam, & accommodam.

Suppositio Universalis Absoluta est, ubi nulla intelligitur exceptio. Ita sumitur subjectum dictæ propositionis, *Omnis homo est animal*.

Suppositio universalis Accommodata est, ubi aliqua intelligitur exceptio: ut hic, *Cælum tegit omnia*: scilicet præter se.

Dividitur secundò suppositio universalis in universalem pro generibus singulorum, & universalem pro singulis generum.

Suppositio Universalis pro Generibus Singulorum est, per quam vox accipitur pro omnibus generibus seu speciebus, non autem pro omnibus individuis. Hoc modo sumitur subjectum istius propositionis, *Omne animal fuit in arca Noë*, Sensus enim est, *Omne genus seu species animalis fuit in arca Noë*, scilicet equus, leo, elephas, &c. Non autem sic. *Omne individuum animalis fuit in arca Noë*, sic enim significaretur etiam Te, qui hæc legis; & cætera animalia, quæ nunc vivunt, fuisse in arca Noë.

Vel sic: Significatur cujuslibet speciei aliquod

individuum ibi fuisse, non verò cujuslibet speciei quodlibet individuum.

Suppositio Universalis pro Singulis generum est, per quam vox sumitur pro omnibus suis individuis. Ita sumitur subjectum ipsius propositionis: *Omnis homo est animal.*

Ad cognoscendam suppositionem universalem multæ Dialecticis regulæ traduntur, ex quibus duæ sunt præcipuæ.

1. Subjectum enunciationis universalis affirmativæ sumitur universaliter; ut subjectum istius; *Omnis homo est animal.*

Reducitur hæc regula ad generaliore, quod nempe signum universale affirmativum distribuit illum terminum, cui immediatè præfigitur.

2. Utrumque extremum enunciationis universalis negativæ, & prædicatum particulari^s negativæ sumitur universaliter: ut hic, *Nullus homo est brutum*, universaliter sumitur tam *homo*, quam *brutum*. Hic vero, *Aliquod animal non est homo*, tantum *homo* sumitur universaliter, non *animal*.

Hæc etiam regula reducitur ad generationem, quod nimirum signum negativum distribuit omnia sequentia, sive proxime illis præponatur, sive remotè.

Eandem vim habent omnes dictiones, quæ in sua significatione negationem includunt: ut particulæ *sine*, *absque*, verba significantia privationem aut carentiam: ut, *egeo*, *careo*, &c.

ARTICULUS II.

De suppositione copulata.

Suppositio Copulata est acceptio vocis pro inferioribus vel denominatis copulativam e-numerandis, id est, per conjunctionem copulativam copulativam sumptam, hoc est, non connectentem integras enunciationes, sed terminos simplices. Ita sumitur subjectum hujus propositionis, *Omnia elementa sunt quatuor*, sic enim explicatur; *Ignis, & aer, & terra, & aqua sunt quatuor*; non autem sic, *Ignis est quatuor & aer est quatuor, &c.*

Ad dignoscendam hanc suppositionem una hæc notetur regula.

Subjectum propositionis, cujus prædicatū est vox numerū significans, sumitur copulativam. Exemplum jam est propositum.

ARTICULUS III.

De suppositione determinata.

Suppositio Determinata est acceptio vocis pro inferioribus, vel denominatis disjunctivam e-numerandis, id est, per conjunctionem disjunctivam disjunctivam sumptam, hoc est, connectentem integras enunciationes. Ita sumitur subjectum hujus propositionis, *Aliquis homo est probus*; sic enim explicabitur, *vel Ioannes est probus, vel Petrus est probus, vel Paulus est probus, & sic de cæteris.*

Ad cognoscendam hanc suppositionem hæc sit regula.

Utrumque extremum propositionis particularis aut indefinitæ affirmativæ, & subjectum

jectum negativæ, sumitur determinatè, ut in his propositionibus, *Aliquis homo est probus. Homo est probus*, tam prædicatum quam subjectum sumitur determinate. In his autem, *Aliquis homo non est probus, Homo non est probus*, solum subjectum sumitur determinate, prædicatum vero universaliter per secundam regulam de suppositione universali.

ARTICULUS IV.

De suppositione confusa.

SUPPOSITIO Confusa est acceptio vocis pro inferioribus vel denominatis disjunctim enumerandis, id est, per conjunctionem disjunctivam disjunctim sumptam, hoc est, connectentem simplices terminos, non vero integras enunciationes. Ita sumitur prædicatum hujus propositionis, *Omnis homo est animal*: sic enim exponitur. *Omnis homo est hoc, vel istud, vel illud, vel aliud animal*: non autem sic, *Omnis homo est hoc animal, vel omnis homo est istud animal, &c.* Hæc enim expositio falsa est, cum ipsa propositio sit vera.

Traduntur de hac acceptance multæ regulæ, inter quas est præcipua.

Prædicatum propositionis universalis affirmativæ sumitur confusè. Pater exemplo superiori. Reducitur hæc regula ad generaliore, quod nempe signum universale affirmativum confundit, id est, confusè sumi facit illum terminum, cui mediatè sive remotè præponitur.

Ex his suppositionum speciebus sumitur hæc regula argumentandi & axioma celeberrimum, quæ pleræque syllogismorum regulæ nituntur.

Non

Non licet procedere à non distributo ad distributum, id est. Non licet aliquem terminum, qui in antecedente non sumitur universaliter, ponere in consequente universaliter sumptum: ut, non sequitur, *Omnis homo est animal, ergo omne animal est homo*, quia *animal* in antecedente non distribuitur, cum sit prædicatum universalis affirmativæ; in consequente vero distribuitur, cum sit subjectum universalis affirmativæ.

TRACTATUS TERTIUS.

De Syllogismo.

Ex terminis componitur propositio, ex propositionibus syllogismus, de quo hic nobis agendum est. Dividetur hic tractatus in duas partes. In priori tractabitur de principis internis syllogismi. In posteriori de externis.

TRACTATUS TERTII PARS PRIMA.

De principis internis Syllogismi.

Pincipia interna syllogismi dicuntur, quæ sunt in ipso syllogismo.

Hæc principia duplicia sunt, materialia & formalia.

Itaque hæc pars dividetur in duo capita. In priori agetur de principis materialibus syllogismi. In posteriori de formalibus.

CAPUT I.

PRincipia *ncipius materialibus syllogismi.*

Materia conmaterialia sunt: quibus velut materia constituitur syllogismus.

Hæc principia sunt duplicia: Propinqua, quæ sunt propositiones; & Remota, quæ sunt termini, *Itaque hoc capite quatuor explicabuntur.*

1. Quid sit argumentatio in genere, & quæ ejus partes.

2. Quotuplex eadem sit.

3. Quid syllogismus.

4. Quot termini & enunciationes in syllogismo.

ARTICULUS I.

Quid sit argumentatio, quæ ejus partes?

Genus syllogismi est argumentatio, quæ præter syllogismum alias quasdam species complectitur, ut infra art. 2. dicetur: *Itaque prius quam de syllogismo agamus, exponendum videtur quid sit argumentatio, & quanam illius partes.*

Argumentatio est oratio, in qua unum ex alio colligitur, ut, *Omnis homo est sensitivus, ergo omnis homo est animal*, Dicitur unum colligi ex alio, quando significatur una propositio sequi ex altera, quod fit per particulam illam, *ergo*, vel aliam æquivalentem. Unde non est hic argumentatio, *Omnis homo est animal, & homo est sensitivus*, quia etiam si posterior propositio recte sequatur ex priori, non tamen in illa oratione significatur sequi.

Tres ergo sunt partes argumentationis ;
Antecedens, Consequens, Nota illationis.

Antecedens est enunciatio , quæ ex alia colligitur.

Consequens est enunciatio, quæ ex alia colligitur.

Nota illationis est conjunctio significans unam enunciationem colligi ex alia, ut in assignata argumentatione antecedens est , *Omnis homo est sensitivus*, consequens, *Omnis homo est animal*; nota illationis, ista conjunctio ergo

Illationis nominibus vocatur sequela , consequentia , consecutio , collectio, quæ non est antecedens , nec consequens, sed connexio consequentis cum antecedente , designata, ut dictum est, per illam vocem, *ergo*, vel aliam æquivalentem. Sumitur etiam non raro consequentia, & illi æquivalentia pro integra argumentatione.

ARTICULUS II.

Quotuplex est argumentatio ?

ARgumentationum alia est bona , alia vitiosa.

Bona est, cujus consequens legitimè inferitur ex antecedente : ut, *homo est animal, homo est sensitivus*.

Vitiosa est , cujus consequens non legitimè inferitur ex antecedente, ut, *Homo est animal, ergo homo est rationalis* : non enim legitimè colligitur hominem esse rationalem ex eo , quod sit animal, cum brutum sit etiam animal, & tamen

men non sint rationale. Quando vero consequens legitime, quando non legitime colligitur ex antecedente, patebit ex regulis, quæ suo loco tradentur.

Nota cum simpliciter fit mentio argumentationis, bonam intelligi, non vitiosam.

Argumentatio bona dividitur in formalem, & materialem: sive in formaliter bonam, id est, ratione formæ, & materialiter bonam, id est, ratione materiæ.

Argumentatio formalis est, cum in nulla similis formæ dari potest antecedens verum consequente falso.

Argumentationes vero similis formæ sunt, quæ constant æque multis terminis, eodem ordine dispositis, & æquè multis propositionibus ejusdem quantitatis & qualitatis, ut hæc argumentationes sunt similis formæ.

Omne animal est vivens,

Omnis homo est animal, ergo

Omnis homo est vivens.

Et

Omnis arbor est planta,

Omnis quercus est arbor, ergo

Omnis quercus est planta.

Hæ cædem sunt argumentationes formales: nam in nulla argumentatione, quæ similem formam habet, dari potest antecedens verum consequente falso.

Argumentatio materialis dicitur, cum in aliqua similis formæ dari potest antecedens verum consequente falso, ut hæc: *Omnis homo est sensitivus, ergo omnis homo est animal:* datur enim antecedens verum consequente

falso in hac similis formæ. *Omnis homo est sensibilis; ergo omnis homo est brutum.*

Dividitur iterum argumentatio bona in Syllogismum, Entymema, Inductionem, & Exemplum, de quibus deinceps per ordinem agemus. Inter illas autem solus syllogismus est argumentatio formalis.

ARTICULUS III.

Quid sit Syllogismus.

Syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis, aliud quiddam ab iis quæ posita sunt necessario accidit, eo quod hæc sunt.

Id est, syllogismus est oratio, in qua duabus præmissis simplicibus in modo & figura rectè dispositis, conclusio à præmissis diversa colligitur per necessariam & formalem consequentiam, propter legitimam præmissarum in modo & figura dispositionem: ut,

Omne animal est vivens.

Omnis homo est animal, ergo

Omnis homo est vivens.

Q. Quis syllogismus hic definitur? Resp. Syllogismus categoricus sive simplex, id est, constans omnibus enunciationibus simplicibus: qualis est jam assignatus. Et propterea dicitur in sensu, *duabus præmissis simplicibus.*

De syllogismo composito, id est, constante una, vel pluribus enunciationibus compositis hic non agitur. Syllogismus compositus est iste:

Si dies est, lux est,

Sed dies est, ergo

Lux est.

TRACTATUS IV.

Quot termini & enunciationes in syllogismo.

Termini sunt materia remota syllogismi, enunciationes autem propinqua; quia ex terminis prius formandæ sunt enunciationes, ac deinde ex enunciationibus syllogismus.

In omni syllogismo sunt tres termini, Majus extremum, Minus extremum, & Medium.

Medium est terminus, qui bis in antecedente syllogismi ponitur.

Extremum in genere est, quod semel tantum in antecedente syllogismi ponitur.

Majus extremum est, quod in antecedente syllogismi præstantiorem locum obtinet.

Minus extremum est, quod in antecedente syllogismi minus præstantem locum obtinet.

Illud vero dicitur obtinere præstantiorem locum, quod obtinet locum prædicati, altero obtinente locum subjecti, aut, si in hoc sit paritas, quod pronunciatione præcedit. Prius fit in prima figura, ubi unum extremum prædicatur de medio, alterum subjicitur. Posterius in secunda, ubi utrumque extremum subjicitur medio; & in tertia, ubi utrumque extremum prædicatur de medio ut sit hic syllogismus.

Omne animal est vivens,

Omnis homo est animal,

Ergo omnis homo est vivens.

Ibi medium est *animal*, majus extremum, *vivens*, minus extremum, *homo*.

In omni item syllogismo sunt tres enunciationes, major propositio, minor propositio, & conclusio.

MAIOR PROPOSITIO est illa pars antecedentis, in qua ponitur majus extremum. A Cicerone & quibusdam aliis vocatur simpliciter propositio.

MINOR PROPOSITIO est illa pars antecedentis, in qua ponitur minus extremum. A Cicerone & aliis vocatur assumptio.

Duæ illæ propositiones dici etiam solent præmissæ, quia præmittuntur conclusioni.

CONCLUSIO est enunciatio, quæ ex aliis infertur. Ut in superiori syllogismo, Major propositio est illa. *Omne animal est vivens*; Minor ista, *Omnis homo est animal*, Conclusio ista, *Omnis homo est vivens*.

Q. 1. *Vtrum illa propositio dicenda sit major, quæ primo loco ponitur?* Resp. Ordinariè quidem ita est: patitur tamen exceptionem ista regula interdum in syllogismis primæ figuræ, id est, in quibus unum extremum prædicatur de medio, & alterum subicitur medio, ubi semper illa est major, in qua ponitur illud extremum, quod prædicatur de medio, sive illa ponatur primo loco, quod plerumque fit sive secundo, quod interdum accidit. Ut si dicas,

Omnis homo est animal.

Omne animal est vivens, ergo

Omnis homo est vivens.

Major propositio est illa, *Omne animal est vivens*, quia in ea ponitur majus extremum, id est, illud, quod nobiliorem locum obtinet in antecedente Syllogismi, utpote tenens locum prædicati, cum alterum teneat locum subjecti.

Q. 2. *Quare termini Syllogistici istis nominibus appellat?*

appellantur? R, Duo illi termini, qui semel tantum ponuntur in antecedente Syllogismi, vocantur extrema, quia sunt extrema enunciationis probandæ, sive conclusionis, id est, prædicatum ejus & subjectum: ille autem terminus, qui bis ponitur in antecedente, vocatur medium, quia est velut vinculum & nexus extremorum: sicut enim extrema se habent ad illum terminum, ita colliguntur se habere ad invicem.

ANNOTATIO

In definiendo majori & minori extremo secutus sum Recen. iorem, communem opinionem tanquam planiorem & faciliorem. Alioquin putarem conformiorem esse Aristoteli Alexandri sententiam, & aliorum, qui censent illud extremum esse majus, quod vel in antecedente, vel certe in quaestione probanda prædicatur, cum alterum subjiciatur. Verum hæc sententia, tametsi solida, minus tyronum captui est accommodata.

ARTICULUS II.

De principiis formalibus Syllogismi.

PRincipia formalia sunt dispositiones quædam principiorum materialium. Id est, terminorum & propositionum. Sunt igitur duo: unum terminorum, quod vocatur Figura, quæ triplex est: alterum propositionum, quod vocatur modus.

Itaque in hoc capite de his agetur. 1. De figura & modo, eorumque varietate generatim. 2. de modis primæ figuræ. 3. de modis secundæ. 4. de modis tertiæ.

ARTICULUS I.

*De figura & modo eorumque varietate,
generatim.*

Figura Syllogistica est dispositio medii cum extremis secundum subjectionem & Prædicationem.

Figura est triplex, Prima, Secunda, Tertia; Prima est in qua medium semel subicitur, & semel prædicatur.

Secunda, in qua medium bis prædicatur.

Tertia, in qua medium bis subicitur. Exempla habes Articulis sequentibus.

Modus Syllogisticus est, trium enunciationum Syllogismi dispositio secundum quantitatem & qualitatem. Itaque tot sunt modi, quot modis possunt enunciationes Syllogismi variari secundum quantitatem, & qualitatem; quod ut minutius examinetur, non sua serim, cum parum utilitatis illud examen habeat. Exempla modorum habens inferius.

Modorum alius directus, alius indirectus; sive alius directè concludens: alius indirectè. Eodem modo dividitur Syllogismus.

Modus directus est, in quo majus extremum concluditur de minori. Eodem modo definitur Syllogismus indirectus, ut hic:

Omne animal est vivens,

Omnis homo est animal, ergo

Omnis homo est vivens.

Modus Indirectus est, in quo minus extremum concluditur de majori. Eodem modo definitur Syllogismus indirectus, ut hic:

Omne animal est vivens,
Omne homo est animal, ergo
Aliquod vivens est homo.

Recententur vulgò modi utiles, id est, apti ad concludentem, novemdecim, singuli singulis expressis vocabulis, quæ his versiculis comprehenduntur.

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralip-
pton.

Celantes, Dabitis, Fapesmo Frisesomorum.

Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti.

Felapton, Disamis, Datifi, Bocardo, Ferison.

In his, vocabulis hæc adverte:

1. Novem prima spectare ad primam figuram: sequentia quatuor ad secundam; reliqua sex ad tertiam.

2. Quod singula vocabula constent tribus syllabis, & singulæ syllabæ singulis vocabulis; nam in *Baralippton*, *Frisesomorum*, solæ tres primæ syllabæ aliquid significant, reliquæ adduntur tantum metri, causa; unde extra metrum vocari solent, *Baralip*, *Frisesom*.

3. Quod tres illæ vocales significant tres enuntiationes syllogisticas, prima quidem majorem propositionem, secunda, minorem, tertia conclusionem.

4. Quod vocalis A significet universalem affirmativam, E universalem negativam, I. particula rem affirmativam, O denique particularem negativam. Unde antiquum carmen:

Asserit A, negat E. sed universaliter ambæ:

H s

Asser-

Afferit, I. negat O, sed particulariter ambo.

Quid verò in prædictis vocabulis significant consonantes S. P. & M postea dicitur.

ARTICULUS II.

Modi primæ figuræ cum exemplis Syllogismorum.

Prima figura, ut dictum est, habet undecim modos, videlicet.

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipson.

Celantes, Dabitur, Fapesmo, Frisesomorum.

Inter hos quatuor primi sunt directi, & ut postea dicitur perfecti scilicet.

Barbara, Celarent, Darii, Ferio,

Quinque reliqui sunt indirecti & ut postea dicitur imperfecti, scilicet.

— *Baralipson.*

Celantes, Dabitur, Fapesmo, Frisesomorum.

Ut autem tyrones exemplaria habeant Syllogismorum in singulis modis, quæ imitentur, modos omnes cum suis syllogismis proponemus.

Modi directi ac perfecti primæ figuræ cum syllogismis.

Bar *Omne animal est substantia :*

ba *Omnis homo est animal, ergo*

ra *Omnis homo est substantia.*

Ce *Nullum animal est planta :*

la *Omnis homo est animal, ergo*

rent. *Nullus homo est planta*

Da Omnis homo est rationalis,
 ri Aliquod animal est homo, ergo
 i Aliquod animal est rationale.

Fe Nullus Æthiops est albus:
 ri Aliquis homo est Æthiops, ergo
 o Aliquis homo non est albus.

Modi indirecti ac imperfecti primæ figuræ
 cum Syllogismis.

Ba Omne animal est substantia:
 ra Omnis homo est animal: ergo
 lipt. Aliqua substantia est homo.

Ce Nullum animal est planta:
 lan Omnis homo est animal, ergo
 tes. Nulla planta est animal.

Da Omnis homo est rationalis:
 bi Aliquod animal est homo, ergo
 tis. Aliquod rationale est animal.

Fa Omnis homo est animal:
 pel Nullum brutum est homo, ergo
 mo. Aliquod animal non est brutum.

Fris Aliqua virtus est delectabilis:
 el Nullum vitium est virtus, ergo
 om. Aliquod delectabile non est vitium.

ARTICULUS III.

Modi secunda figura cum exemplis Syllogis-
morum.

Modi secundæ figuræ sunt hi quatuor.

Cesare, Camestres, Festino, Baroco.

In singulis syllogismorum exempla subijciun-
tur.

Ces Nullum brutum est rationale,
a Omnis homo est rationalis, ergo
re. Nullus homo est brutum.

Ca Omnis homo est rationalis,
mel Nullum brutum est rationale, ergo
ites. Nullum brutum est homo.

Fes Nullus homo est brutum,
ti Aliquod animal est brutum, ergo
no. Aliquod animal non est homo.

Ba Omnis homo est rationalis,
ro Aliquod animal non est rationalis, ergo
co. Aliquod animal non est homo.

ARTICULUS IV.

Modi tertia figura cum exemplis, Syllogis-
morum.

Da Omnis homo est rationalis,
rap Omnis homo est animal, ergo
ti. Aliquod animal est rationale,

Fe Nullus homo est irrationalis,
lap Omnis homo est animal, ergo
ton. Aliquod animal est irrationale.

Dif Aliquod animal est rationale,
a Omne animal est vivens, ergo
mis. Aliquod vivens est rationale.

Da Omnis avarus est miser,
tis Aliquis avarus est dives, ergo
i. Aliquis dives est miser.

Bo Aliquod animal non est homo;
cat Omne animal est vivens, ergo
do. Aliquod vivens non est homo.

Fe Nullum vitium est amandum,
ris Aliquid vitium est delectabile, ergo
on. Aliquod delectabile non est amandum.

TRACTATUS TERTII
PARS SECUNDA.

De Principiis externis Syllogismi.

Prinicipia externa Syllogismi voce, quæ
non sunt in ipso Syllogismo

Sunt duplicia, ditigentia, & perficientia.
Hinc duo conficientur capita, quibus tertium ad-
detur de argumentationibus non syllogisticis,
quæ reductione ad syllogismum etiam perfician-
tur.

CAPUT I.

De principiis dirigentibus.

PRincipia dirigentia sunt axiomata, id est, propositiones per se notæ, quibus nititur consequentia syllogistica.

Sunt autem duo; unum affirmativum; alterum negativum. His annectuntur regulæ generales & speciales Syllogismorum.

Quinque igitur hoc capite tradentur. 1. Principia dirigentia. 2. Regulae generales Syllogismorum. 3. Regulae speciales prima figura. 4. Regulae speciales secunda figura. 5. Regulae speciales tertia figura.

ARTICULUS I.

Quot & quæ sint principia dirigentia Syllogismorum.

Priusquam declarentur principia dirigentia, exponendum est quid sit prædicari sive dici de omni, quid de nullo, ex quibus dictis illa principia desumuntur.

a Prædicari de omni est, cum nihil sumere subjecti est, de quo alterum non dicatur.

Id est, cum prædicatum significatur convenire subjecto universaliter sumpto. Dictum ergo de omni, est prædicatum universalis affirmativæ.

b De nullo prædicari est, cum nihil sumere subjecti est, à quo alterum non removeatur.

Id est, cum prædicatum significatur negari de subjecto universaliter sumpto. Dictum ergo de nullo, est prædicatum universalis negativæ.

Ex

Ex his duabus definitionibus sumitur hæc duo principia lumine natura notissima, quæ brevitate causa vocari etiam solent dictum de omni, & dictum de nullo; quamvis non sint proprie illa dicta, sed regula ex illis desumpta.

Principium dirigens affirmativum.

Quidquid dicitur de subiecto universè sumpto, dicitur de quovis, quod subsumitur sub illo: ut quia vivens dicitur de omni animali, dicitur etiam de homine & aliis sub animali contentis.

Itaque hoc Principio evidenter dividitur hic Syllogismus:

Omne animal est vivens

Omnis homo est animal, ergo

Omnis homo est vivens.

Eodem principio regulari debent omnes Syllogismi affirmativi, licet quidam evidenter, alii obscure, ut postea dicetur.

Principium dirigens negativum.

Quidquid negatur de subiecto universè sumpto, negatur & de quovis, quod subsumitur sub illo: ut quia planta negatur de omni animali, etiam negatur de homine, & aliis contentis sub animali. Itaque hoc principio clarissimè regularitur hic Syllogismus:

Nullum animal est planta:

Omnis homo est animal, ergo

Nullus homo est planta.

Eodem principio regulari debent omnes syllogismi negativi vel evidenter, vel obscure, ut explicabitur infra.

ARTICULUS II.

Regulae generales Syllogismorum.

Hæ regulæ dicuntur generales, quia servandæ sunt in omnibus figuris.

1. In syllogismo tres tantum termini esse possunt.

Si ergo aliquis terminus sumatur æquivocè, erit vitiosus syllogismus; quia cum talis terminus significatione sit duplex, in hujusmodi syllogismo sunt quatuor termini, unde nullus est hic syllogismus.

Omnis homo est animal vivum.

Aliqua pictura est homo, ergo

Aliqua pictura est animal vivum.

Nam homo in majori sumitur pro vero homine in minori pro picto.

2. Medium syllogisticum non potest ingredi conclusionem. Ratio est, quia sic idem probaretur per idem.

3. In altera præmissarum medium debet distribui. Unde non sequitur.

Aliquod animal est irrationale,

Omnis homo est animal, ergo

Omnis homo est irrationalis.

Medium enim, quod est animal, in neutra præmissarum distribuitur. Ratio regulæ est, quia quando medium non distribuitur, non servatur dictum de omni aut de nullo.

4. Ex puris particularibus nihil sequitur, ut non sequitur.

Aliquod animal non est brutum,

Aliquis equus est brutum, ergo

Aliquis equus non est animal.

Adverte Syllogismum, qui peccat contra hanc regulam, etiam peccare contra aliquam aliam regulam; si enim fit in prima vel secunda figura, peccabit contra specialem regulam illarum figuratum, ut infra patebit: si autem fit in tertia figura, peccabit contra præcedentem, id est tertiam regulam generalem, quia medium non distribuetur, ut si dicas:

Aliquod animal est homo,

Aliquod animal est brutum, ergo

Aliquod brutum est homo

5. Ex puris negativis nihil sequitur; ut fatuus est iste Syllogismus;

Nullus homo est brutum,

Nullus equus est homo, ergo

Nullus equus est brutum.

Ratio regulæ est, quia Syllogismus cōstans puris negativis, pugnat cum dictis de omni, & de nullo, in quibus præcipitur, ut medium cum altero saltem extremorum conveniat.

6. Quando altera præmissarum est particularis: conclusio etiam debet esse particularis: Ratio est, quia alias procederetur à non distributo ad distributum, ut hic.

Omnis homo est rationalis,

Aliquod animal est homo, ergo

Omne animal est rationale.

7. Quando altera præmissarum est negativa, conclusio etiam debet esse negativa. Unde stultus est hic Syllogismus.

Nullum animal est planta:

Omnis homo est animal, ergo

Omnis homo est planta.

Ratio est, quia in tali Syllogismo directè fit contra principium dicti de nullo: colligitur enim duo extrema convenire inter se, quia non conveniunt cum medio, cum oppositum sit colligendum, scilicet extrema non convenire inter se, quia non conveniunt cum medio.

ARTICULUS III.

Regulae speciales primæ figuræ.

DUæ sunt regulæ speciales primæ figuræ.
 1. Ex minore negante nihil sequitur in prima figura, ut non sequitur.

Omnis homo est vivens,

Nulla planta est animal, ergo

Nulla planta est vivens.

Ratio regulæ est, quia sic proceditur à non distributo ad distributum ex parte majoris extremi; si enim sit minor negans, major erit affirmans, cujus prædicatum est majus extremum, prædicatum vero affirmativæ non distribuitur; atqui illud idem in conclusione negante distribuitur, utpote illius prædicatum, ut patet in superiori exemplo.

2. Ex Majore particulari nihil concluditur in prima figura, non enim sequitur.

Aliquod animal est homo.

Omne brutum est animal: ergo

Aliquod brutum est homo.

Ratio regulæ est, quia in tali syllogismo medium non distribuitur.

Utraque regula intelligenda est de Syllogismis directè concludentibus, nam indirectè concludi potest ex minore negante in Fapesmo, & ex majore particulari in Friseto; quia ratio regulæ in illis cessat. Comprehenditur utraq; regula hoc versu. Sit minor affirmans, nec major sit specialis.

ARTICULUS IV.

Regulae speciales secunda figura.

Etiam in hac figura duae speciales regulæ assignantur.

1. Ex puris affirmativis nihil sequitur in secunda figura, ut non sequitur.

Omne brutum est animal,

Omnis homo est animal, ergo

Omnis homo est brutum,

Ratio regulæ est; quia in syllogismo secundæ figuræ constante puris affirmativis medium non distribuitur, est enim prædicatum utriusque præmissæ affirmativæ.

Ex majore particulari nihil sequitur in secunda figura, ut non sequitur.

Aliquod animal non est rationale,

Omnis homo est rationalis, ergo

Aliquis homo non est animal.

Ratio regulæ est, quia in tali syllogismo proceditur à non distributo ad distributum ex parte majoris extremi, quod est subjectum majoris particularis, & prædicatum conclusionis negantis. *Duas istas regulas habes in hoc versu.*

Vna negans præeat, nec major sit specialis.

ARTICULUS V.

Regulae speciales tertia figura.

Duæ quoque sunt in tertia figura regulæ speciales

Duæ quoque: negante nihil sequitur in tertia figura, ut non sequitur.

Omnis homo est animal:

Nullus homo est brutum: ergo

Aliquod brutum non est animal.

Ratio regulæ est quia in tali syllogismo proceditur à non distributo ad distributum ex parte majoris extremi, quod in majori affirmativa est prædicatum, & etiam in conclusione negativa

2. CONCLUSIO debet esse particularis in tertia figura. Hinc non sequitur.

Omnis homo est rationalis:

Omnis homo est animal: ergo

Omne animal est rationale.

Ratio regulæ est, quia in tali Syllogismo proceditur à non distributo ad distributum ex parte minoris extremi, quod in minori affirmativa, cujus est prædicatum, non distribuitur: in conclusione verò universalis, cujus est subjectum, distribuitur. *Dua ista regula comprehenduntur hoc versiculo.*

Sit minor affirmans, conclusio sit specialis.

C A P U T II.

De Principiis perficientibus Syllogismi.

PRincipia perficientia sunt, quibus Syllogismi imperfecti reducuntur ad perfectos.

Sunt autem duo, Conversio, & præmissarum Transpositio, quibus additur Expositio.

Quinque igitur hoc capite explicabuntur. 1. conversio propositionum. 2. Divisio Syllogismi in perfectum & imperf. etum. 3. Reductio ostensiva Syllogismi imperfecti ad perfectum 4. Syllogismus expositivus & reductio per expositionem. 5. Reductio per impossibile.

ARTICULUS I.

De conversione propositionum.

Conversio est subjecti in prædicatum, & prædicati in subjectum, manente eadem qualitate enuntiationis, mutatio, ut, *Omnis homo est animal, ergo aliquod animal est homo.*

Prior enuntiatio dicitur *conversa*, posterior *convertens*.

Manet eadem qualitas, cum ex affirmativa infertur affirmativa, & ex negativa infertur negativa.

Conversio est duplex, *simplex*, & per *accidens*.

Conversio simplex est, in qua servatur eadem quantitas propositionum: id est, quando universalis convertitur in universalem, vel particularis in particularem; ut, *Nullus homo est brutum, ergo nullum brutum est homo.*

Conversio per accidens est, in qua mutatur quantitas propositionum, id est, quando universalis convertitur in particularem; vel contra, ut, *Omnis homo est animal, ergo aliquod animal est homo.*

De conversione sunt 4. regulæ.

1. Universalis negativa convertitur simpliciter & per accidens. ut, *Nullum animal est planta: ergo nulla planta est animal, vel, ergo aliqua planta non est animal;*

2. Universalis negativa convertitur per accidens, non simpliciter: ut, *Omnis homo est animal, ergo aliquod animal est homo, non autem sic, ergo omne animal est homo.*

Ratio est, quia procederetur à non distributo ad distributum ex parte prædicati conversæ.

5. Particularis affirmativa convertitur tantum simpliciter, ut, *Aliquis homo est albus, ergo aliquod album est homo.*

4. Particularis negativa non convertitur, ut non sequitur, *Aliquod animal non est homo, ergo aliquis homo non est animal.*

Ratio est, quia procederetur à non distributo ad distributum ex parte subjecti conversæ.

In omni conversione unum est præcipuè observandum, ut integra extrema transponantur, id est, totum subjectum fiat prædicatum, & totum prædicatum fiat subjectum. Unde non sequitur. *Homo videt lapidem, ergo lapis videt hominem:* sed sic deberet inferri, *ergo aliquod videns lapidem est homo.*

A N N O T A T I O

Egimus tantum de conversione in terminis, non autem de conversione in oppositam qualitatem, quæ convenit tantum propositionibus modalibus, quia ob rationem alias allatam non intendimus agere de syllogismo modalis.

Rursum non egimus de conversione per contrapositionem, quia ad syllogisticum artificium non conducit, & quæ parte utilis est, pertinet ad aliquem locum dialecticum. Nec putamus ista spinosa tyronibus esse proponenda, nisi perceptis prius planioribus & utilioribus.

A R T I C U L U S II.

De divisione syllogismi in perfectum & imperfectum.

Syllogismorum alius perfectus, alius imperfectus: Huc reiicienda fuit illa divisio, quia sine principiis perficientibus intelligi commodè prius non poterat.

Syllogismus Perfectus est, qui nullius alius indiget, præter ea quæ sumpta sunt necessaria aut appareat.

Arist. l. 1.
prior. c. 1.

Id est, qui nullo indiget principio perficienti, ut cuius sanæ mentis appareat necessaria eius consequentia.

Tales syllogismi sunt tantum in quatuor primis modis primæ figuræ. *Barbara, Celarent, Darii, Ferio.*

Syllogismus imperfectus est, qui unius pluriumve eget.

Arist. ib.

Id est, qui indiget non principio perficienti vel pluribus, ut cuius sanæ mentis appareat necessaria eius consequentia.

Tales sunt omnes syllogismi secundæ, & tertiæ figuræ, & quinque indirecti primæ.

Ut utraque definitio melius percipiatur, advertendum, ad omnem syllogismum adhiberi tria principia, materialia, formalia, dirigentia. Sed dirigentia non eodem modo in omnibus adhibentur, in quibusdam enim tam clarè servantur, ut quilibet sanæ mentis videat consequentiam esse necessariam. Et hi dicuntur *perfecti*: in aliis autem servantur obscurius, ita ut rudiores interdum non vident consequentiam esse necessariam. Et hi dicuntur *imperfecti*. Hi ergo posteriores indigent quarto principio, scilicet perficienti, ut per reductionem ad perfectos syllogismos probetur eorum consequentia.

Jam facile est intelligere utramque definitionem: *Præter sumpta*, id est, præter principia, quæ in ipso servantur, indiget uno qui perfici potest sola conversione. Indiget pluribus, qui præter conversionem indiget præmissarum transpositione. Quam illi sint, jam dicetur.

ARTICULUS III.

De reductione ostensiva syllogismi imperfecti ad perfectum.

Reducere Syllogismum est, ex syllogismo imperfecto perfectum facere, ut ostendatur imperfectus fuisse legitimus.

Triples apud Dialecticos est reductio ostensiva, per expositionem, & per impossibile.

Reductio ostensiva est, cum in syllogismo perfecto, ad quem fit reductio, inferitur eadem conclusio, quæ inferebatur in imperfecto, vel certè ejus conversa, retento eodem medio. Cur addatur *vel certè ejus conversa*, postea patebit. Dicitur, *retento eodem medio*, ut distinguatur reductio ostensiva à reductione per expositionem, in qua mutatur medium commune in singula se, ut declarabitur articulo sequenti.

Quæquam latius sumendo nomen ostensiva reductionis, pro illa omni, in qua inferitur eadem conclusio quæ inferebatur in syllogismo imperfecto, Reductio per expositionem vocari possit ostensiva.

Principia vel instrumenta reductionis, ut diximus, duo sunt, Conversio & præmissarum transpositio.

Totum reductionis artificium indicatur illis vocibus, quibus supra modi Syllogismorum sunt expressi: In quibus hæc notanda.

1. Quatuor sunt litteræ initiales quatuor modorum perfectorum, scilicet, B. C. D. F. ab una istarum incipiunt reliqui modi omnes

2. Prima littera cujusque modi imperfecti significat illum modum reduci ad perfectum ab ea dem littera incipientem. Ut omnes qui incipiunt à B. reducuntur ad *Barbara*, qui à C. ad *Celarent*, &c.

3. Duæ consonantes, S. & P. designant conversionem propositionis significatæ per vocalem proxime præcedentem, S. quidem conversionem simplicem, P. verò conversionem per accidens, ut in *Cesare*, major convertenda est simpliciter in *Camestres* minor & conclusio convertendæ simpliciter, in *Darapti*, minor convertenda per accidens.

4. Littera M. ubicunque posita significat transponendas præmissas; ut in *Camestres*, *Fapesmo*, &c.

5. Littera C. in medio posita denotat modum non posse reduci ostensive, sed tantum per impossibile. De quibus hi versiculi circumferuntur:

S. vult simpliciter verti, P. vero per acci-

M. vult transponi, C. per impossibile duci,

Ut vero horum praxim tyrones videant & imitentur, subjiciemus duo exempla.

Ces Nullum animal est planta,

2. *Omnia arbor est planta: ergo*

re, *Nulla arbor est animal.*

Reducitur ad

Ce Nulla planta est animal:

la *Omnia arbor est planta: ergo*

tent. *Nulla arbor est animal.*

Dis Aliquod animal est rationale:

a *Omne animal est vivens: ergo*

mis, *Aliquod vivens est rationale.*

Reducitur ad

Da *Omne animal est vivens:*

ri *Aliquod rationale est animal: ergo*

i. *Aliquod rationale est vivens.*

ARTICULUS IV.

De Syllogismo expositorio & reductione per expositionem.

Syllogismus Expositivus est, qui constat
 medio singulari, ut,

Joannes est probus.

Joannes est homo: ergo

Aliquis homo est probus.

Dividi ergo potest Syllogismus generatim acceptus in Syllogismum constantem medio communi, de quo pleraque eorum quæ hactenus diximus intelligenda sunt, & constantem medio singulari, qui dicitur Expositivus.

Q. 1. Quare syllogismus vocatur Expositivus? R. duabus de causis. 1. quia est ad eò clarus, ut rem oculis videatur exponere. 2. quia exponit Syllogismum constantem medio communi, ea ratione, quæ inferius proponetur.

Q. 2. Quæ sunt principia dirigentia Syllogismum expositivum? R. dirigitur quidem etiam principiiis Syllogismi constantis communi medio, duo tamen maxime ipsi accommodata solent assignari. Prius est affirmativum, posterius negativum, videlicet.

1. Quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.

Quæcunque sic se habent, ut unum sit idem uni tertio, alterum verò ab eodem diversum, sunt diversa inter se.

Ubi

Ubi nomine *tertio* intelligitur aliquod singulare & incommunicabile. Quod posterius additur propter mysterium SS. Trinitatis, in quo tres personæ sunt eadem uni tertio singulari, scil. Deitati, nec tamen sunt eadem inter se, quia Deitas non est quid incommunicabile. Sed hæc omnino Dialecticis relinquenda sunt, & intra naturæ limites illis consistendum, ubi omne singulare est planè incommunicabile, ideoque axiomata allata ibi semper verissima inveniuntur.

Q. 3. In qua figura aptissimè sit Syllogismus expositorius? R. in tertia, quia ibi medium bis subicitur; singulare autem medium, quali constat syllogismus expositorius, aptissimè semper subicitur. Propterea ad probandam conclusionem particularem, optimum est uti syllogismo expositorio in tertia figura.

Uter verò sit perfectior, expositorius, an primæ an tertiæ figuræ disputent Logici. Certum illud est, expositivum tertiæ figuræ esse valde evidentem, quia clarissimè dirigitur principiis jam allatis, quæ lumine naturæ nota sunt, v. g. sit hic syllogismus.

Iudas damnatus est,

Iudas fuit Apostolus, ergo

Aliquis Apostolus damnatus est.

Hic ex eo, quod *damnatus*, & *aliquis Apostolus* sint eadem uni tertio, nempe *Iuda*, inferuntur etiam inter se eadem esse.

Reductio per expositionem est, cum medio singulari substituto in locum medii communis, infertur eadem conclusio, quæ inferebatur in Syllogismo de medio communi.

Hoc modo reducendos docet Aristoteles syllogismos imperfectos tertiæ figuræ, v. g. sit hic syllogismus:

Om-

Omnis homo est rationalis.

Omnis homo est animal: ergo

Aliquod animal est rationale.

Simam unum singulare contentum sub homine, illudque in ejus locum substituam, hoc modo :

Ioannes est rationalis :

Ioannes est animal : ergo

Aliquod animal est rationale.

ARTICULUS V.

De reductione per impossibile.

Reductio per impossibile est, cum ex contradictoria conclusionis & una præmissarum inferatur contradictoria alterius præmissæ.

Ut vero cognoscatur, quomodo hæc reductio facienda sit, & in cujus præmissæ locum subrogari debeat contradictoria conclusionis, notandæ sunt hæc regulæ.

Pro prima figura.

Major fit minor, ut sit contradictio major, Excipe Celantes, in quo convertitur ordo.

Pro secunda figura.

Servat majorem variatque secunda minorem.

Pro tertia figura.

Tertia majorem variat, servatque minorem.

Ad quem vero modum ex quatuor perfectis reducendi sint singuli imperfecti cujuscunque figuræ, duobus modis cognosci potest.

1. Ex dispositione præmissarum; quæ servatis jam dictis regulis, consurgit, si enim assumendo

con.

sequentiam. Assumpta enim contradictoria conclusionis, & altera præmissarum, quam concessit, cogitur admittere contradictoriam alterius præmissæ, quam tamen etiam concesserat.

CAPUT III.

De speciebus argumentationis non Syllogisticæ

ARgumentatio non syllogistica dividi solet in tres species, Enthymema. Inductionem. Exemplum. Quibus adjungimus quartum articulum, de Sorite.

ARTICULUS I.

De Enthymemate.

ENthymema est syllogismus imperfectus ex verisimilibus & lignis ut, *Omnis animal est substantia, Ergo omnis homo est substantia.* *Arist. 1.2. prior. c. 27.*

Q. 1. Quis hic vocatur Syllogismus imperfectus? R. Argumentatio, cui ad formam syllogisticam deest una præmissa. Itaque aliter hic accipitur *Syllogismus imperfectus*, quam superius, ibi enim accipiebatur pro syllogismo integro quidem, sed inevidenti; hic autem pro syllogismo mutilo, & cui pars una essentialis syllogismi deest.

Q. 2. Quomodo distinguuntur probabile & signum? R. quod probabile sit propositio probabilis: *Omnis mater diligit filium*; signum vero est quælibet propositio apta ad probandum, seu necessaria, seu probabilis. Itaque Enthymema potest constare qualibet materia, sive necessaria illa sit, sive probabilis tantum.

Q. 3.

Q. 3. Quomodo reducitur Enthymema ad syllogismum? R. Additione unius præmissæ : ut hoc, *Omne animal est substantia, ergo omnis homo est substantia*, reducitur additione hujus præmissæ, *Omnia homo est animal.*

Ad quam verò figuram quodque Enthymema reducatur, & utrius præmissæ additione, facile videbit, qui artificium syllogisticum prius benè perciperit.

ARTICULUS II.

De Inductione.

Inductio est à singulatibus ad universalia accessio.

Id est, argumentatio, in qua enumeratis omnibus, vel pluribus minus communibus, infertur universale distributum, ut,

Petrus est risibilis :

Ioannes est risibilis, & sic de reliquis: ergo

Omnia homo est risibilis.

Item, *Avaritia est vituperanda, & ita de cæteris:*

Ergo, Omne vitium est vituperandum.

Q. 1. Quare dicitur in sensu, minus communibus? R. quia inductio non modò procedit ab individuis, sed etiam à quibuslibet minus communibus, ut patet ex secundo exemplo; unde per singularia, intelligi debent quæ minus communia.

Q. 2. Quare dicitur omnibus vel pluribus? R. Quia inductio est duplex, Perfecta & Imperfecta.

Perfecta est, in qua enumerantur omnia
fin-

singularia, ut in superioribus exemplis: omnia enim concluduntur illa clausula, & sic de cæteris; quæ addi solet, quâdo singularia nimis multa sunt.

Imperfecta est, in qua non enumerantur omnia singularia, ut,

Joannes est risibilis:

Petrus est risibilis,

Paulus est risibilis: ergo

Omnis homo est risibilis.

Quamvis autem in hac inductione verbo non exprimatur, relinqui idem judicium de cæteris tamen tacite relinqui debet, ut valida sit.

ARTICULUS III.

De Exemplo.

Exemplum est ab uno singulari ad aliud propter aliquam similitudinem progressio.

Id est, argumentatio, in qua unum singulare ex alio colligitur, ut,

David pœnitens misericordiam impetravit:

Ergo & nos impetrabimus, si pœnitentiam egerimus.

Item:

Absoloni malè periit:

Ergo & hic rebellis patri filius malè peribit.

ARTICULUS IV.

De Sorite sive Coacervatione.

Sorites est argumentatio, in qua, continua serie, multarum propositionum, de

K

præ-

prædicato præcedentis propositionis semper dicitur novum prædicatum, donec ultimum prædicatum, dicatur de primo subjecto. ut,

Omnis homo est animal,

Omne animal est vivens,

Omne vivens est corpus,

Omne corpus est substantia,

Ergo omnis homo est substantia.

Hæc argumentatio etsi expresse non habeat formam syllogisticam, quando constat pluribus enunciationibus quàm tribus, continet tamen implicitè plures syllogismos primæ figuræ, in quibus posterior propositio sit major, prior verò minor, ut in allato exemplo, si primas duas propositiones inferas, habebis hæc dispositionem, *Omne animal est vivens, omnis homo est animal*, quæ est dispositio primæ figuræ.

Nitur illa consequentia hoc axioma:

Quidquid dicitur de prædicato universalis propositionis, dicitur de subjecto ejusdem.

Vocatur etiam hæc argumentatio à primo ad ultimum, cujus nominis ratio ex ipsa definitione manifesta est.

TRACTATUS QUARTUS DE LOCIS.

DVæ sunt partes præcipuæ Dialecticæ. Judicium & Inventio. Hactenus de Judicio tantum egimus. Deinceps itaque de Inventione agendum erit,

Divis

Dividitur hic tractatus in duas partes. Prior erit de locis dialecticis. Posterior de locis sophisticis sive de fallaciis.

TRACTATUS QUARTI PARS PRIMA.

De Locis Dialecticis.

H*Æc pars dividetur in 4. Capita. Primum continebit quaedam praeambula ad locos Dialecticos. Secundum explicabit locos Dialecticos Internos. Tertium Externos. Quartum Medios.*

CAPUT I.

Quaedam praeambula ad locos dialecticos.

T*Ria breviter hic tractentur. 1. divisio syllogismi in demonstrativum, dialecticum, litigiosum, & pseudographum 2. Quando argumentation non syllogistica & materialis censeatur bona. 3. Quid locus & quotuplex.*

ARTICULUS I.

Divisio syllogismi in Demonstrativum, Dialecticum, Litigiosum & Pseudographum.

D*ividitur syllogismus ab Aristotele in Demonstrativum, dialecticum, Litigiosum, & Pseudographum.*

Demonstratio est, quando ex veris & primis syllogismus erit, aut ex talibus, quæ per aliqua prima & vera, suæ cognitionis principium sumpserunt.

*Arist. lib.
To. 1. c. 1.*

Id est, Demonstratio est syllogismus, cujus præmissæ sunt primò veræ, vel exprimò veris evidenter probari possunt. Prioris partis exemplum est hoc, quod procedit à causa ad effectum:

Omne animal rationale est risibile :

Omnis homo est animal rationale: ergo

Omnis homo est risibilis.

Posterioris illud, procedens ab effectu ad causam.

Omne risibile est rationale :

Omnis homo est risibilis : ergo

Omnis homo est rationalis.

Arist. ib.

Primò vera sunt, quæ non per alia, sed per seipsa fidem habent.

Id est, Propositiones primò veræ sunt, quæ non possunt probari per alias continentes causam veritatis ipsarum: ut, *Omne animal rationale est risibile: Omne totum est majus sua parte, &c.*

Arist. ib.

Dialecticus Syllogismus est, qui ex probabilibus est collectus.

Id est, cujus præmissæ sunt probabiles tantum, ut,

Omnis mater diligit filium :

Hæc est mater : ergo

Hæc diligit filium.

Arist. ib.

Litigiosus est syllogismus ex iis, quæ videntur probabilia, non sunt autem, vel qui ex probabilibus, aut ex iis quæ videntur probabilia est apprensus.

Id est, syllogismus litigiosus sive sophisticus est, qui habet præmissas tantum apparentur probabiles, vel consequentiam apparenter tantum probabilem, vel utrumque.

Primo

Primo membro continetur is, qui peccat in materia tantum. ut,

Quidquid non caret oculis, habet oculos.

Lapis non caret oculis, ergo

Lapis habet oculos.

Secundo is, qui peccat in forma tantum. ut,

Omnis mater diligit filium :

Omnis Pater diligit filium : ergo

Omnis pater est mater.

Tertio, qui peccat in utroque. ut,

Quidquid non perdidisti habes :

Sed aurum habes ; ergo

Aurum non perdidisti.

Syllogismus pseudographus est, qui fit ex propriis disciplinæ sumptionibus non veris.

Id est, qui constat principiis alicujus scientiæ malè intellectis, ut,

Omnes semicirculi sunt æquales :

Sed semicirculus majoris circuli, & semicirculus minoris sunt semicirculi,

Ergo sunt æquales.

Minor à Mathematicis intelligitur de semicirculis ejusdem circuli, & accipitur, quasi intelligeretur etiam de semicirculis diversorum circulorum.

Ista divisio, quæ à materia petitur, hoc loco proponitur, quia loci suppeditant materiam, dialecticū quidem præcipue syllogismo dialectico, sophisticū litigioso.

ARTICULUS II.

Quando argumentatio non syllogistica & materialis censeatur bona.

IN locis agitur ordinariè de argumentationibus, non formalibus, qualis est syllogismus, sed materialibus, in quibus diximus dari posse antecedens verum consequente falso, servata simili forma, quales ordinariè sunt argumentationes non syllogisticae: Cum autem hæ argumentationes etiam bonæ sint, videndum est quid requiratur ad eorum bonitatem.

Adverte ergo, in omni argumentatione non syllogistica inveniri terminum Inferentem & illatum.

Terminus inferens est, qui ponitur tantum in antecedente

Terminus illatus est, qui ponitur tantum in consequente.

Quod si ponatur terminus aliquis in antecedente & consequente (ut fit, quoties sunt tantum tres termini) vocatur terminus communis; ut hic, *Omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia, communis, homo.*

Tunc ergo Argumentatio materialis est bona, cum in nulla similis formæ & materiæ dari potest antecedens verum consequente falso.

Illæ verò argumentationes dicuntur similis materiæ, in quibus est idem terminus infe-

Inferens & Illatus, vel saltem eadem habitu-
do termini inferentis ad illatum. Id est, si in u-
na terminus inferens respectu illati sit genus, in al-
tera etiam est g enus, &c. unde hæc argumentatio
non est bona: *Aristoteles est homo, ergo est philoso-
phus*, quia datur antecedens verum consequente
falso in hac simili materia: *Rusticus est homo, ergo
rusticus est philosophus*, hic enim est idem terminus
inferens & illatus.

Adverte præterea argumentationes illas diale-
cticè bonas censeri, quæ ut plurimum non habent
antecedens verum consequente falso, licet inter-
dum habeant.

Adverte tertiò argumentationem materialiter
bonam aliquando latè sumi, ut etiam illas comple-
ctatur, quarum antecedens & consequens vera
sunt, licet consequentia nulla sit. Et sic ista argu-
mentatio diceretur materialiter bona, *Aristoteles
est homo, ergo Aristoteles est philosophus*. Sed tales ar-
gumentationes simpliciter non possunt dici bonæ,
seu legitimæ.

ARTICULUS III.

*Quid locus, & quotuplex, & quot modis ab
eo argumentemur.*

Locus est sedes argumenti.

Duplex est: Maxima sive Axioma, &
Differentia maximæ.

Maxima sive Axioma est propositio ge-
neralis per se nota, per quam multa argumen-
ta probantur, ut hæc,

*Quidquid dicitur de definitione, dicitur
definito.*

Locus differentia Maximæ est locus continens plures maximas, ut, *locus à definitione, à divisione, à genere, &c.*

Triplex iste est. Internus, Externus, & Medius : de quibus ex ordine dicetur.

Dupliciter argumentamur à locis dialecticis ; Affirmativè dum antecedens est affirmativum, *Negativè*, dum antecedens est negativum.

Utroque modo argumentamur tripliciter.

Ex parte subjecti, dum terminus inferens est subjectum : ut, *Omnis homo est risibilis, ergo Petrus est risibilis.*

Ex parte prædicati, dum terminus inferens est prædicatum, ut, *planta non est animal, ergo planta non est brutum.*

Ex parte utriusque, dum & subjectum, & prædicatum est terminus inferens ; quod accidit, quando sunt duo termini inferentes, & duo illati ; nullus communis. ut, *sobrietas est laudanda, ergo ebrietas est vituperanda.*

Unde evadunt sex modi argumentandi, ex parte subjecti affirmativè, ex parte prædicati affirmativè, ex parte utriusque affirmativè, & totidem modis negativè.

C A P U T II.

De locis internis.

Locus Internus est, ex quo petuntur argumenta, quorum terminus inferens est intrinsecus illato. Hos locos sigillatim jam exponemus.

ARTICULUS I.

Locus à definitione.

Quid sit Definitio, dictum est tract. 2. p. 2. cap. 1. comprehendimus etiam Descriptionem.

Argumentamur à definitione tribus modis; ex parte subjecti, prædicati, & utriusque, juxta hæc axiomata:

1. Quidquid affirmatur vel negatur de definitione, affirmatur vel negatur de definito.

2. De Quocumque affirmatur vel negatur definitio, de eodem affirmatur vel negatur definitum.

3. Si Definitio affirmetur vel negetur de definitione, etiam definitum affirmabitur vel negabitur de definito

Exemplum 1. ut, *Animal rationale est risibile, ergo homo est risibilis.*

Exemplum 2. ut, *Homo est substantia materialis, ergo homo est corpus.*

Exemplum 3. ut, *Animal rationale est substantia corporea, ergo homo est corpus.*

Ad hunc locum revocantur.

Locus à differentia:

Locus à proprietate: denique

Locus à convertibilibus; quia ab omnibus, quæ inter se convertuntur, eadem est argumentandi ratio, & singulis, mutato nomine, accommodari possunt dicta axiomata.

Eodem revocatur Locus ab etymologia: sed hic non est tam frequens quam alii, quia etymologia plerumque non est convertibilis.

Loco à definitione respondet locus à definito; à quo totidem modis argumentamur, & penes eadem axiomata, mutato tantum nomine definitionis in nomen definiti, & contrà.

ARTICULUS II.

Locus à genere ad speciem.

Accipitur hic genus pro quolibet magis communi seu Toto universalis; & species pro quolibet minus communi, seu parte subjectiva.

Argumentamur vel à genere distributo, vel à genere non distributo.

A genere distributo argumentamur ad certam speciem tribus modis, ex parte subjecti; prædicati, utriusque, tam affirmativè quam negativè juxta hæc axiomata.

2. Quidquid affirmatur vel negatur de genere distributo, affirmatur vel negatur de quolibet ejus specie.

De quocunque affirmatur vel negatur genus distributum, de eodem affirmatur vel negatur quælibet species.

3. Si Genus distributum affirmetur vel negetur de altero genere distributo, quælibet ejus species affirmabitur vel negabitur de quolibet alterius specie.

Exemplum 1. ut,

*Nulla planta est lapis,
ergo nulla quercus est lapis,*

Exemplum 2. ut. *Nulla planta est animal:
ergo nulla planta est homo.*

Exem-

Exemplum 3. ut. *Nulla planta est animal :*

ergo nulla quercus est homo.

Posui exempla negativa, quia etsi argumenta affirmativa ab hoc loco ex parte subjecti frequentissima sint, ex parte tamen prædicati sunt rariora, rarissima ex parte utriusque.

Huc pertinet locus à Toto in quantitate ad partem, quod nihil est aliud, quam vocabulum affectum signo universalis, ut, *Omne animal.*

Huc etiam revocatur locus à Toto in tempore, quod est vocabulum significans omne tempus, ut *semper nunquam.*

Et locus à Toto in loco, quod est vocabulum significans omnem locum, ut, *ubique, nullibi.* Exempla, ut, *Deus est ubique, ergo & in terra. Hæreses semper fuerant, ergo & tempore Christi.*

A genere non distributo argumentamur ad speciem sub divisione tantum. ut, *Animal est quadrupes; ergo homo vel brutum est quadrupes.*

Ad certam speciem non licet argumentari.

ARTICULUS III.

Locus à specie ad genus.

A Specie ad genus distributum argumentari non licet: ut, non sequitur: *Omnis homo est rationalis, ergo omne animal est rationale.*

Si tamē enumerentur omnes species, licebit, quia tunc erit inductio.

A specie ad genus non distributum argumentamur tribus modis: ut supra, affirmativè & negativè. Axiomata facillè formari possunt.

Exemplum 1. *Homo est rationalis. Ergo aliquod animal est rationale.*

Exemplum 2. *Ioannes est homo: Ergo est animal:*

Exemplum 3. *Aliquod corpus est album; Ergo aliqua substantia est colorata.*

Huc revocatur locus à Parte in quantitate;

Parte in tempore, & loco : à quibus ad totum non licet argumentari, nisi addita negatione impediendi distributionem, ut, *Brutum non est rationale, ergo non omne animal est rationale. In Angelo non sunt lupi: ergo non ubique.*

ARTICULUS IV.

Locus à toto in modo.

TOtum in modo est nomen commune positum sine restrictione, comparatum ad idem nomen positum cum restrictione.

Pars in modo est nomen restrictum comparatum ad idem non restrictum: ut *homo* est totum in modo, *homo doctus*; pars in modo Itaque à Toto in modo, argumentamur eodem planè modo, quò à genere ad speciem. ut *Ioannes non est philosophus: ergo non est philosophus eximius, Aristoteles est philosophus eximius: ergo est philosophus,*

Videndum, ne sumatur particula alienans vel diminuens, unde non sequitur.

Cadaver est homo mortuus:

ergo est homo.

Aethiops est albus secundum dentes;

ergo est albus.

ARTICULUS V.

Locus à toto integrali.

Quid sit totum integrale, & quid partes integrales, dictum est tractatu 2. p. 2. c. 1. a. 1. Partes integrales sunt duplices, necessariae, id est, sine quibus totum esse non potest, ut *fundamentum* in domo, *caput* in homine; & non necessariae, id est, sine quibus totum esse potest, ut *fenestra* in domo, *manus* in homine.

A toto integrali ad partem argumentamur juxta hæc axiomata.

1. Posito toto integrali ponuntur omnes partes necessariae.

2. Ablato toto aufertur aliqua pars necessaria.

A parte ad totum argumentamur juxta hæc:

3. Positis omnibus partibus necessariis ponitur totum.

4. Ablata aliqua parte necessaria tollitur totum.

Exemplum 1. ut, *Domus est: ergo fundamentum est, tectum, parietes.*

Exemplum 2. ut

Non est domus:

ergo fundamentum non est, vel tectum, &c.

Exemplum 3. ut,

Fundamentum, tectum, parietes sunt;

ergo domus est.

Exemplum 4. ut,

Tectum non est:

ergo non est domus.

A T I C U L U S VI.

Locus à causa materiali.

Causæ sunt 4. materia, forma, efficiens, finis.
Materia est duplex, permanens & transiens.

Permanens, quæ manet in effectu: ut, *ferrum in gladio.*

Transiens, quæ non manet: ut, *farina respectu panis.*

Argumentamur à materia juxta hæc axiomata:

1. Posita materia fieri potest effectus, supple, quantum est ex parte materiæ.

2. Sublata materia fieri non potest effectus, intellige de materia necessaria.

3. Sublata materia permanente tollitur effectus.

4. Si materia transiens non fuerit, non est effectus.

Exemplum 1. *Ferrum est, ergo gladius fieri potest.*

Exemplum 2. *Non sunt ligna, ergo domus fieri non potest.*

Exemplum 3. *Non sunt ligna, ergo domus non est.*

Exemplum 4. *Non fuit farina, ergo non est panis.*

Ab effectu ad materiam quomodo argumentandum sit, facile ex dictis colligitur.

ARTICULUS VII.

Locus à causa formali.

CAUSA formalis est forma comparata ad compositum quod constituit, ut, *anima* ad hominem, *albedo* ad album, *nigredo* ad nigrum, &c.

Argumentamur à causa formali juxta hæc axiomata.

1. Posita causa formali, ponitur effectus: supple si sit conjuncta materiæ.

2. Sublata causa formali, tollitur effectus: Nullam patitur exceptionem.

3. Cujus forma præstantior, ipsū præstantius: supple, cæteris paribus.

Exemplum 1. *Albedo est, ergo album est,*

Non tamen sequitur, *Anima rationalis est, ergo homo est,* quia potest non esse conjuncta materiæ, ut accidit post mortem.

Exemplum 2. *Albedo non est, ergo album non est.*

Exemplum 3. *Anima humana est præstantior forma cæli, ergo est homo cælo.*

Ab effectu formali ad causam formalem argumentamur juxta has maximas.

1. Posito effectu formali ponitur causa formalis. Nullam patitur exceptionem.

2. Sublato effectu formali tollitur causa formalis. Supple, vel non est conjuncta materiæ:

3. Si effectus formalis est præstantior; forma est præstantior: supple, nisi aliundè major illi præstantia proveniat. Exempla ex superioribus facile formabuntur.

ARTICULUS VIII.

Locus ab inesse ad denominare.

ARgumentamur ab inesse ad denominare, quando ex eo, quod forma sit, in aliquo colligimus concretum de illo affirmari vel negari, ut *albedo est in pariete, ergo paries est albus.*

Pertinet itaque hic locus ad causam formalem.

Servandæ autem potissimum sunt hæ conditiones.

1. Ut forma in sit sufficienter, nimirum, *satis intense*, id est, perfectius quam forma opposita, *satis extensive*, id est, ultra mediam partem subjecti capax; *satis diu*. Hinc non sequitur, *Aqua tepida inest calor, ergo est calida. Æthiopi inest albedo in dentibus, ergo est albus. Homini ex timore inest pallor, ergo est pallidus.*

Ut sumatur proprium concretum formæ. Unde non sequitur, *Dormienti inest visus, ergo dormiens videt*: nam *videt* est concretum *visionis*, non *visus*, Inferendum erat, *ergo est visivus.*

3. Ne sumatur concretum extrinsecè denominans. Unde non sequitur, *Oculo inest visio, ergo oculus videtur.*

4. Ut modus denominandi respondeat modo inexistendi: id est, si forma in sit accidentaliter, concretum denominet accidentaliter; si essentialiter, denominet essentialiter. Hinc non sequitur, *In albedine est color, ergo albedo est colorata. In bursa est aurum, ergo bursa est aurea*: nam aurum est in bursa extrinsecè, id est, non per modum partis: Illud verò concretum *aurea*, denominat intrinsecè, id est per modum partis, cum significet *id quod ex auro componitur.*

A denominare ad inesse argumentamur, quando ex eo quod concretum denominet, colligimus formam inesse: ut *paries est albus: ergo ipsi inest albedo.*

Duo hic specialiter servanda.

1. Ne concretum extrinsecè denominet, unde non sequitur: *Paries videtur, ergo parieti inest visio,*

2. Ut sit proprium concretum formæ. Hinc nulla est consequentia, *Dormiens non videt, ergo illi non inest visus.*

ARTICULUS IX.

Locus ab efficiente.

CAusa efficiens est, à qua aliquid fit, ut, *artifex* respectu domus,

Hæc causa duplex est, una necessaria, id est, sine qua non potest esse effectus, nec contra, ut, *orius solis* respectu diei. Altera sufficiens tantum, id est, quæ sine effectû esse non potest, sed bene effectus sine ipsa, ut, *jugulatio* respectu mortis. Non agitur hic de causis liberis, sed naturaliter agentibus.

Argumentamur à causa efficiente juxta hæc axiomata.

1. Posita causa necessaria, ponitur effectus, & contrà.

2. Sublata causa necessaria, tollitur effectus & contrà.

3. Posita causa sufficienti, ponitur effectus, non tamen contrà.

4. Sublata causa sufficienti, non tollitur effectus, sed bene contrà.

Exemplum 1. *Sol ortus est, ergo dies est, & contrà, dies est, ergo sol ortus est.*

Exemplum 2. *Sol ortus non est, ergo dies non est, & vice versa.*

Exemplum 3. *Jugulatus est, ergo interiit, non sic, Interiit, ergo jugulatus est.*

Exemplum 4. *Non sequitur, Non est jugulatus, ergo non interiit: sed sic, Non interiit, ergo non est jugulatus.*

Argumentamur item penes hæc axiomata.

Cujus causa efficiens bona, ipsum bonum: cujus mala, ipsum malum.

Cujus causa interimens bona, ipsum malum: cujus mala, ipsum bonum.

Exempla facilè occurrent.

A R T I C U L U S X.

Locus à potentia ad actum.

ARgumentamur à potentia ad actum, & contrà, penes hæc axiomata.

1. De quocunque negatur potentia, de eodem negatur actus, non contrà.

2. De quocunque affirmatur actus, de eodem affirmatur potentia: non contrà.

3. Frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum, nec in se, nec in simili.

Exemplum 1. *Christus nunquam potuit peccare, ergo nunquam peccavit.*

Exemplum 2. *Deus quosdam ad vitam revocavit, ergo potest mortuos ad vitam revocare.*

Ex-

Exemplum 3. *Heretici nunquam fecerunt miracula, ergo non possunt ulla facere.*

ARTICULUS XI.

Locus à causa finali.

Finis est, cujus gratia aliquid fit.

Medium est, quod ordinatur ad aliquid assequendum.

Ab hoc loco argumentamur juxta has maximas:

1. Cujus finis bonus, ipsum bonum, cujus malus, ipsum malum.

2. Si finis sit possibilis, media sunt possibilis, & contrà.

3. Obtento fine cessant media, nisi tamen iisdem mediis conservandis sit.

4. Posita intentione finis, eligenda sunt media.

Exemplum 1. *Scientia est bona, ergo studium bonum.*

Item, *Occidere malum est, ergo & insidias struere.*

Exemplum 2. *Potes salvari, ergo potes divinam legem servare.*

Exemplum 3. *Pax est, ergo non pugnandum est.*

Non tamen sequitur: *Hic est doctus, ergo non amplius studet;* quia doctrina conservatur studio.

Exemplum 4. *Vis esse doctus? ergo tibi studendum est.*

Possunt ex istis formari axiomata comparantia.

Cujus finis melior, ipsum melius, cuius pe-
 jor, ipsum pejus; cuius optimus ipsum opti-
 mum: cuius pessimus ipsum pessimum.

ARTICULUS XII.

Locus ab appositione.

Argumentamur ab appositione sive adjun-
 ctione, cum aliquam denominationem de ali-
 quo colligimus, ex eo quod ipsam alteri tribuat.
 Duo sunt axiomata.

1. Propter quod unumquodque est tale,
 etiam illud est tale.

2. Propter quod unumquodque est tale &
 illud magis, *supple*, est tale.

Exemplum, 1. *Ignis calefacit aquam, ergo est
 calidus.* 2. *Si inferas ergo est magis calidus quam
 aqua.*

Requiruntur autem hæ conditiones 1. non de-
 bet sumi causa intrinseca respectu effectus: non e-
 nim sequitur, *Ioannes est homo propter animam, ergo
 anima est homo, vel magis homo.*

2. Si sumatur causa efficiens, debet sumi causa u-
 nivoca, id est, ejusdem speciei cum effectu. unde
 non sequitur, *Terra est calida propter solem, ergo sol
 est calidus, vel magis calidus.*

3. Ut secundum axioma locum habeat, debet su-
 mi denominatio, quæ admittit magis & minus.
 Hinc non sequitur, *Lumen existit propter solem, ergo
 sol magis existit.* Usu deprehendes quædam alia re-
 quirri; sed hæc sunt potissima.

ARTICULUS XIII.

Locus à generatione, corruptione, & usu.

A generatione, corruptione, & Usu argumenta-
 mur juxta has maximas.

1. Cujus generatio per se bona, ipsum bonum; cuius mala, ipsum malum.

2. Cujus corruptio per se bona, ipsum malum; cuius mala, ipsum bonum.

3. Cujus usus per se bonus, ipsum bonum; cuius malus, ipsum malum.

Exemplum 1. *Natiuitas Christi bona, ergo ipse bonus: Lutheri mala: ergo ipse malus.*

Exemplum 2. *Mors furum bona, ergo ipse mali, Mors patris filio nocet, ergo proderat pater.*

Exemplum 3. *Impugnare heresim est bonum, ergo est bona scientia: Commercium habere cum demone malum est ergo magia mala.*

Additur (*per se*) quia si ista non sint bona per se, sed tantum per accidens, locum non habebunt istae regulæ. Non enim sequitur: *Mors Christi fuit nobis bona ergo ipse malus.* Sic si sumatur abusus pro usu, nihil concludetur ut, *Inebriari malum est, ergo vinum malum est.*

ARTICULUS XIV.

Locus ab antecedente & consequente.

Antecedens dupliciter dicitur, illatione & tempore.

Antecedens illatione est id, quod alterum infert, ut, *homo respectu animalis.*

Consequens, quod infertur ab altero, ut, *animal respectu hominis.*

Antecedens tempore est id, quod tempore debet alterum præcedere: ut, *flores respectu fructuum.*

Consequens, quod alterum tempore sequi debet, ut, *fructus respectu florum.*

Dialectici potissimum agunt de antecedente & consequente quoad illationem, de quibus hæc sunt axiomata.

1. Posito antecedente ponitur consequens: non tamen posito consequente ponitur antecedens.

2. Ex opposito consequentis sequitur; oppositum antecedentis, non tamen ex opposito antecedentis sequitur oppositum consequentis.

Exemplum 1. Bene sequitur, *Si homo est, animal est: sed homo est, ergo animal est, non tamen sic, sed animal est, ergo homo est.*

Exemplum 2. Bene sequitur, *Si homo est, animal est, sed nullum animal est, ergo nullus homo est, non tamen sic, sed nullus homo est, ergo nullum animal est.*

Ab antecedente & consequente quoad tempus contraria est argumentandi forma. Et ratio est, quia antecedens tempore est consequens illatione, & consequens tempore, est antecedens illatione: ut non sequitur: *Sunt flores, ergo erunt fructus; sed sic; Non sunt flores, ergo non erunt fructus.*

ARTICULUS XV.

Locus à communiter accidentibus.

Communiter accidentia sunt, quæ rem ordinariè circumstant; Horum quædam præcedunt, quædam concomitantur: alia subsequuntur. A quibus argumentamur secundum hoc axioma.

Posito

Posito uno communiter accidentium verisimiliter ponitur & alterum. Intellige, ordine & tempore, quo illi conjungi solet: ut, *Sunt encania, ergo erunt rixa. Ille expallescit, ergo est sibi male conscius. Hic est commodis moribus, ergo bene est educatus.* Hæc de locis internis.

CAPUT III.

De locis externis.

Locus Externus est, ex quo sumuntur argumenta, quorum terminus inferens est extrinsecus illo. *De his locis jam sigillatim agemus.*

ARTICULUS I.

Locus ab Autoritate.

Authoritas duplex est, divina & humana.

Ab utraque argumentamur affirmativè: sed à divina infallibile, non dialecticum argumentum ducitur.

Ab humana argumentamur juxta hoc axioma:

Unicuique experto in sua arte credendū est.

ut *Aristoteles dicit terram quiescere, ergo quiescit.*

Ab autoritate negata non valet argumentum, ut, *Aristoteles hoc non dicit, ergo non ita est.*

ARTICULUS II.

Locus à simili & pari.

Similia sunt, quæ alicujus attributi similem causam habent, paria, quæ parem ut, *Joannes parem habet rationem cur sit mortalis, quam Petrus, scilicet, quia est homo, idcirco Joannes & Petrus in hoc sunt paria: Ratio habet similem causam*

ad imperandum appetitui, quam domina ad imperandum ancillæ, nempe quia est superior, ideo ratio & domina sunt in hoc similia.

Argumentamur ah hoc loco secundum hanc maximam.

Similium similis est ratio. ut, *Domina debet imperare ancilla, ergo & ratio appetitui, Ioannes est mortalis, ergo & Petrus.*

A dissimili & dispari contrario modo argumentamur secundum hanc maximam:

Dissimilium dissimilis est ratio. Sed hic locus à dissimili ratio est in usu.

ARTICULUS III.

Locus à majori & minori.

MAjus hic est, quod est verisimilius, Minus vero, quod est minus verisimile. Itaque majus & minus sunt integræ propositiones, Sumuntur tamen etiam pro simplicibus terminis, qui propositiones, in quibus sunt, reddunt magis vel minus verisimiles.

Argumentamur à majori ad minus ex parte subjecti, prædicati utriusque negativè tantum, juxta hoc axioma.

Si quod verisimilius videtur, verum non est, nec id quod minus verisimile videtur, verum erit.

Exemplum 1. *Rex non potuit arcem expugnare, ergo nec Dux poterit.*

Exemplum 2. *Non potes pati verbum injuriosum, ergo multò minus mortem.*

Exemplum 3. *Aristoteles non potuit unam rem perfectè comprehendere, ergo nos multò minus possumus comprehendere omnes.*

Affir-

Affirmativè non argumentamur. Non enim sequitur, *Vir robustus potest illud pondus ferre, ergo et puer.*

A minori argumentamur affirmativè tantum per hoc axioma.

Si quod minus videtur verisimile, verum est; multò magis quod videtur verisimilius, verum erit. ut, *Puer potest illud pondus ferre, ergo multò magis vir robustus.*

ARTICULUS IV.

Locus à comparatione.

A Comparativo ad positivum argumentamur affirmativè tantum.

A positivo ad comparativum negativè tantum: ut, *Est melior, ergo est bonus: Non est bonus, ergo non est melior.*

Cavendum, ne comparativus sumatur improprie, id est, pro opposito sumpto cum adverbio, minus, ut, *melior pro minus malo.* Non enim sequitur, *Iste prado est melior illo, ergo est bonus.*

Proceditur etiam à duobus positivis ad duos comparativos, & contra. ut, *Docti sunt honorandi, ergo doctiores sunt magis honorandi.*

ARTICULUS V.

Locus à repugnantibus.

A Quibusvis repugnantibus argumentamur ex affirmatione unius inferendo negationem alterius, per hoc axioma:

De quocumque affirmatur unum repugnantium, de eodem negatur alterum. ut, *Æ-*

tiops est niger & ergo non est albus. Ioannes est homo, ergo non est equus.

Disparata nullum alium habent sibi proprium modum argumentandi.

ARTICVLVS VI.

Locus ab oppositis.

Specialiter argumentamur à relativè oppositis per hoc axioma:

Relativa se mutuò ponunt & tollunt, ut, *Est praeceptor, ergo est discipulus. Non est praeceptor, ergo nec discipulus.*

A contrariis argumentamur juxta has maximas:

1. Cui convenit unum contrariorum, potest & alterum convenire. Subaudi, nisi in sit natura.

2. Si de aliquo subjecto capaci negatur unum contrariorum immediatorum, de eodem affirmabitur alterum.

Exemplum 1. *Hic aegrotat, ergo potest sanus esse.*

Exemplum 2. *Ioannes non aegrotat, ergo est sanus.*

A privantibus argumentamur etiam à negatione unius de subjecto capaci ad affirmationem alterius. ut, *Hic homo non est cecus, ergo est visivus.*

A contradictoriis argumentamur à negatione unius de quocumque subjecto, & affirmationem alterius juxta hanc maximam.

De quolibet est affirmatio vel negatio vera. ut, *Brutum non est homo, ergo est non homo.*

Argumentamur rursus ab oppositis juxta hanc maximam:

Oppositorum opposita sunt consequentia. Valet in relatis. ut, *Præceptoris est docere, ergo discipuli est discere.*

In contrariis, ut, *Omnis virtus est laudanda, ergo omne vitium est vituperandum.*

Cavenda duo. Unum in contrariis, ne sumantur contraria, quæ opponuntur per excessum & defectum. Unde non sequitur: *Avaritia est vituperanda, ergo prodigalitas est laudanda.*

Alterum utrobique, ne sumatur propositio per accidens vera. Ut non sequitur, *Album est dulce, ergo nigrum est amarum.*

Hæc consequentia vocatur *consequentia oppositorum contra seipsa, vel ejusdem ordinis*; quia nempe subjectum consequentis opponitur subjecto antecedentis, & prædicatum prædicato.

In aliis oppositis maximeque in contradictoriis, non utimur consequentia ejusdem ordinis, sed inversi. ut, *Omnis homo est animal, ergo omne non animal est non homo*, sed hæc consequentia refertur ad locum ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis, semper enim prædicatum universalis affirmativæ est consequens subjecti.

CAPUT IV.

De locis mediis.

Locus medius est, ex quo sumuntur argumenta, quorum terminus inferens non est omnino intrinsecus, nec omnino extrinsecus illato.

ARTICULUS I.

Locus à conjugatis & casibus.

Conjugata sunt plura, quorum unum ab altero derivatur; nimirum abstractum & concretum, ut, *Iustus & justitia.*

Casus sunt plura, quæ ab eodem derivantur; nimirum plura concreta & denominativa ejusdem formæ, ut, *sapiens & sapienter, justus & justè*

Argumentamur ab illis primò ex parte unius extremi, tribuendo aliquid denotans bonum vel malum, juxta hæc axioma.

Cum quo cohæret unum conjugatorum vel casuum, cum eo cohæret & alterum, ut, *Sobrietas est laudanda, ergo sobrius est laudandus.*

Argumentamur secundo ex parte utriusque, à duobus abstractis ad duo concreta, vel à duobus concretis ad duo abstracta, ut, *Albedo est color, ergo album est coloratum. Album est coloratum, ergo albedo est color. Iustum est bonum, ergo quod justè fit, bene fit.*

Observandæ sunt duæ conditiones potissimum.

1. Ut sumantur conjugata significatione convenientia: unde non sequitur, *Turpitude est forma, ergo turpis est formosus.*

2. Ut sumantur propositiones essentielles, non prædicationes per accidens, unde non sequitur *Album est dulce, ergo albedo est dulcedo.*

Terminus inferens in hoc loco dicitur partim intrinsecus, partim extrinsecus illato, quia conjugata & casus sumuntur, ut significatione formali convenientia, sed differentia in modo significandi.

ARTICULUS II.

Locus à divisione.

DE divisione dictum est tract. 2. p. 2. c. 2. Agimus autem præcipuè de divisione totius universalis, quia illa maximè est in usu; à qua argumentamur juxta hæc axiomatica.

1. Affirmato diviso, & negatis omnibus membris dividendis, excepto uno, concluditur quod est reliquum.

2. A quo remouentur omnia membra diuidentia, ab eodem remouetur diuisum.

Exemplum 1. *Equus est animal, & non est homo, ergo est brutum.*

Exemplum 2. *Planta non est homo, nec brutum, ergo non est animal.*

Argumentum ab affirmatione unius membri ad negationem alterius potius confirmari solet per locum à repugnantibus. *Hac de locis Dialecticis.*

TRACTATUS
QUARTI
PARS POSTERIOR.

De locis Sophisticis.

Locus Sophisticus est sedes argumenti Sophistici : Id est, quo sumuntur argumenta fallacia.

Nota hic nomen Fallaciæ tribui aliquando ipsi loco Sophistico, sæpius verò fallaci argumentationi, & in hac posteriori significatione illo utemur.

Dividetur hæc pars in duo capita. Prius exhibit fallacias in dictione. Posternus fallacias extra dictionem.

CAPUT I.

De fallaciis in dictione.

IN hoc capite ita procedetur 1. agetur de metis sophisticis. 2. de fallacia in communi, ejusque divisione. 3. de singulis figuris in dictione.

ARTICULUS I.

Quot sunt metae sophisticae ?

Metae sophisticae est scopus, ad quem sophista fallaci argumento respondentem conatur deducere. Sunt quinque: Redargutio, Falsum, Inopinabile, Solæcismus, Nugatio.

Meta Redargutionis est prænegati concessio, vel præconcessi negatio, in eadem disputatione, ut si respondens negaverit *dormientem videre*, & postea cogatur concedere, quia *dormiens habet visum*.

Meta falsi est concessio manifestè falsi, vel negatio manifestè veri, ut si cogatur respondens admittere *hominem habere alas*, quia *eas non amisit*.

Meta inopinabilis est confessio ejus, quod communi hominum opinioni repugnat; vel saltem circumstantium, ut si apud imperitos sophista cogeret respondētem admittere *solem esse majorem tota terra*, apud peritos verò *minorem*.

Meta solæcismi est incongrua locutio, ut, si respondens cogatur admittere hanc locutionem

nem : *Omnis mulier est sensitivus, propter hoc argumentum.*

Omnis homo est sensitivus.

Omnis mulier est homo, ergo

Omnis mulier est sensitivus.

Meta negationis est ejusdem vocis inutilis repetitio, ut si quis cogatur sic loqui, *Aliquis nasus est nasus simus*, ubi inutiliter *nasus* repetitur propter hoc argumentum:

Omnis simus est nasus simus,

Aliquis nasus est simus, ergo

Aliquis nasus est nasus simus.

ARTICULUS II.

De fallacia in communi, ejusque divisione.

AD omnem fallaciam duo concurrunt. i. causa apparentiæ, 2. causa defectus.

Causa apparentiæ est id, ratione cujus valida videtur argumentatio, ut in fallacia æquivocationis, identitas vocis æquivocæ.

Causa defectus est id, ratione cujus invalida est argumentatio, ut in eadem fallacia, diversa significatio vocis æquivocæ.

Causa defectus etiam vocatur Causa non existentia.

Dividitur fallacia in fallaciam in dictione, & fallaciam extra dictionem.

Fallacia in dictione est, quæ causam apparentiæ habet in dictione, seu voce.

Fallacia extra dictionem est : quæ causam apparentiæ habet in rebus per voces significatis.

Fallaciæ in dictione sunt quinque, fallacia Æquivocationis, Amphiboliæ, Compositionis & Divisionis, Accentus, Figuræ dictionis,

ARTICVLVS III.

*De fallacia Æquivocationis, Amphiboliæ
& Accentus.*

Fallacia æquivocationis est, quæ provenit ex voce æquivoca æquivocè sumpta, ut,

*Omnis canis latrat,
Sidus cœleste est canis, ergo
Sidus cœleste latrat.*

Mutatur significatio nominis, *canis.*

Fallacia Amphiboliæ est, quæ provenit ex oratione in vario sensu accepta. ut,

*Qui arat littus, scindit terram,
Sed operam perdens arat littus, ergo
Operam perdens scindit terram.*

In vario sensu accipitur illa oratio, *arat littus.*

Fallacia accentus est, quæ provenit ex accentu unius vocis mutato. Sub accentu comprehenditur quantitas, & spiritus, ut,

*Qui lepores venatur, canibus indiget,
Poeta lepores venatur, ergo
Poeta canibus indiget.*

Mutatur accentus vocis, *lepores :*

ARTICULUS IV.

De fallacia Compositionis & Divisionis.

NOta quasdam propositiones, & potissimum eas, quæ constant terminis connotativis seu denominativis, habere duplicem sensum: compositum & divisum. Talis est hæc propositio. *Possibile est album esse nigrum.*

Sensus compositus est, si formale significatum prædicati applicetur formali significato subjecti.

Divisus, si applicetur tantum materiali, unde prædictæ propositionis sensus compositus est hic, *Possibile est album manens album esse nigrum, si-ve, ut albedo & nigredo simul in eodem sint.* Divisus sensus est hic, *Possibile est id, quod est album, non tamen manens album, esse nigrum.*

Fallacia compositionis est, cum propositio vera in sensu diviso, falsa est in sensu composito ut,

Possibile est omnem parietem esse album.

Sed aliquis paries est niger, ergo

Possibile est aliquod nigrum esse album.

Hoc argumentum, ut legitimum sit, debet sumi conclusio in sensu diviso, sic enim vera est, & recte sequitur ex antecedente; si autem sumatur in sensu composito est fallacia compositionis.

Fallacia Divisionis est, cum propositio vera in sensu composito, falsa in diviso, sumitur tamen in sensu diviso: ut,

M

Im-

Impossibile est album esse nigrum

Hic paries est albus, ergo

Impossibile est hunc parietem esse nigrum.

Major vera est in sensu composito, sed in diviso falsa, in quo tamen deberet sumi, ut illud consequens falsum ex ea colligeretur.

ARTICULUS V.

De fallacia figurae dictionis.

Fallacia figurae dictionis est, quae provenit ex vocum diversarum similitudine. Fit dupliciter 1. secundum proprietates grammaticas, ut, *Pons est, masculini generis, ergo & frons* 2. secundum proprietates dialecticas, idque duobus modis 1. explicitè, ut, *Coloratum est predicamenti qualitatis, ergo & lineatum* 2. implicitè, cum sub uno signo significante substantiam subsumitur quantitas, vel qualitas, aut contra.

Significant substantiam, *quidquid, omne, quodcunque &c.* Quantitatem, *quantus, quantuscunque &c.* Qualitatem, *qualis, qualiscunque &c.* exemplum est.

Quidquid heri emisti, comedisti.

Carnem crudam heri emisti, ergo

Carnem crudam comedisti.

Hic enim sub substantia significata per *quidquid*, subsumitur qualitas nempe *cruditas*,

CAPUT II.

De fallaciis extra dictionem.

Fallacia extra dictionem sunt septem. Fallacia accidentis Dicti secundum quid, & dicti simpliciter, Ignoratiois elenchi, consequentis, Petitionis principii. Non causa, ut causa, Plurimum interrogationum ut unius.

ARTICULUS I.

De fallacia accidentis.

Accidens hic dicitur, quidquid aliquo modo distinguitur ab altero, de eo tamen prædicari potest siue essentialiter, siue accidentaliter. Itaque accidentia respectu hominis sunt, anima, visibile, album, & reliqua ipsius prædicata. Cum vero omne id, quod de altero prædicatur, debeat esse aliquo modo idem cum illo, ut patet ex tractatu de prædicatione, fit ut accidens aliquo modo distinguatur, aliquo modo sit idem cum eo, cuius dicitur accidens. ut, animal est aliquo modo idem quod homo, quia homo comprehenditur in significatione animalis, & est aliquo modo diversum, quia animal præter hominem includit etiam brutum.

Ex hac aliquali unitate & diversitate accidentis cum subjecto oritur hæc fallacia.

Igitur fallacia accidentis est, in qua malè infertur aliquid convenire rei ex eo, quod conveniat ejus accidenti. ut, animal est quadrupes, ergo homo est quadrupes. Ratio est, quia accidens non sumitur, quatenus est idem cum re, cuius est accidens, sed quatenus diversum, ut ibi, animal sumitur pro bruto, quod est diversum ab homine.

Huc pertinent omnia argumenta procedentia à non distributo ad distributum, à genere non distributo ad certam speciem syllogismi vitiosi, modò in re ipsa, & non in sola voce apparentiam habeant, &c.

ARTICULUS II.

De fallacia dicti secundum quid, & dicti simpliciter.

NOta in hoc loco usum esse duplicis determinationis potissimum; alienantis, & diminuentis.

Determinatio alienans est, quæ plane tollit significationem vocis cui conjungitur, ut, *mortuus*, respectu vocis, *homo*.

Diminuens est, quæ non quidem plane tollit significationem vocis, eam tamen ita minuit, ut ei possit tribui, cui sine ista determinatione tribui non posset. ut, *secundum dentes*, respectu *albi*, dicitur eum *Æthiops albus* secundum *dentes*, qui simpliciter *albus* dici non potest.

Igitur *Dictum simpliciter* est vox absolute posita, ut *albus*.

Dictum secundum quid est vox sumpta cum determinatione alienante vel diminuyente, ut, *albus secundum dentes*.

Fallacia ergo dicti secundum quid, & dicti simpliciter est, in qua proceditur à dicto secundum quid ad dictum simpliciter; vel contra. ut *Æthiops est albus secundum dentes, ergo est albus*. Vide locum à toto in modo ad partem,

tem; argumenta enim, quæ contra regulas illius loci peccant, sunt fallaciæ huc pertinentes.

ARTICULUS III.

De fallacia ignorationis Elenchi.

Elenchus idem est quod redargutio, id est, contradictorii admissio.

Fallacia ignorationis Elenchi est, in qua colligitur id quod apparet esse contradictorium ejus quod alterum est, revera tamen non est contradictorium. Ut autem aliquæ propositiones sint contradictoriæ, requiritur ut extrema illarum in eadem plane significatione sumantur. Unde si quis defendat Platonem fuisse doctiorem Aristotele, intelligendo, in rebus divinis, alius vero inferat Platonem non fuisse doctiorem Aristotele, intelligendo in rebus humanis, erit fallacia ignorationis elenchi.

ARTICULUS II.

De fallacia petitionis principii.

Petere principium est probare idem per idem, vel per aliud obscurius aut æque obscurum, ut si probes aliquem hominem esse justum, quia aliquis homo est justus, vel quia omnes homines suat justis. Sæpe committitur hæc fallacia, cum obscurioribus verbis, & per ambages idem per seipsum probatur.

ARTICULUS V.

De fallacia consequentis.

Fallacia consequentis est, in qua ex consequente infertur antecedens, vel ex opposito antecedentis oppositum consequentis.

ut, *Si homo est, animal est, sed animal est: ergo homo est.*
 Item. *Si homo est, animal est, ergo si homo non est, animal non est.*

Directe opponitur hæc fallacia loco ab antecedente & consequente, ad quem idcirco erit recurrendum.

ARTICULUS VI.

De fallacia non causæ ut causæ.


Fallacia non causæ ut causæ est, cum falsitas conclusionis, proveniens ex una præmissa falsa, attribuitur alteri præmissæ veræ, quæ causa non est. Hinc dicitur fallacia non causæ ut causæ, quia illa propositio, quæ non est causa falsitatis conclusionis, sumitur tanquam ejus causa, ut si quis ita discurrat, *Omnis virtus est laudanda, sed omnis prodigalitas est virtus, ergo omnis prodigalitas est laudanda; atqui consequens illud est falsum, ergo falsa est major, scilicet Omnis virtus est laudanda.* Inferendum erat minorem esse falsam.


ARTICULUS VII.

De fallacia plurium interrogationum ut unius.

Fallacia plurium interrogationum ut unius est cum ad plures interrogationes petitur responsio una, tanquam si esset una interrogatio, ut si petat sophista. *Homo & lapis sunt ne animal.* Si affirmes, inferet lapidem esse animal, si neges, inferet hominem non esse animal. Ad vitandam fraudem pluribus responsionibus utendum est, dicendo, *Homo est animal; lapis non est.*

F I N I S.





DEFINITIONES,
DIVISIONES,
AC REGULÆ

EX
*Logica & Physica Ari-
stotelis.*

IN GRATIAM STUDIOSORUM
Philosophicæ juventutis,
*Appendicis loco ad dialecticam R. P. PHILIPPI
TRIEU Soc. Iesu editæ.*



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM ANTONIUM KINCHIUM.

Anno M. DC. LXXII.
Cum Privilegio, S. C. M. Generali & Speciali.

DEFINITIONES
AD PARSIONEM
AC RACIUM

IN
PARSIONEM
AC RACIUM

IN
PARSIONEM
AC RACIUM



CONOMIA AGRARIA
AC RACIUM

IN
PARSIONEM
AC RACIUM

EXISAGOGÉ
PORPHYRIANA.

Definitio & divisio universalis.

Vniversale est, quod de multis aptum est prædicari, ut: *Homo, animal, album*

Vniversale est quintuplex: Genus, Species, Differentia, Proprium & Accidens.

Acceptiones generis.

1. Genus primo modo dicitur aliquorum hominum aggregatio, qui quidem ad unum quippiam & inter se habent respectum, ut: *Plures fratres respectu ejusdem patris. Item Plures conterranei ad communem patriam relati.*

2. Genus secundo modo dicitur uniuscujusque principium ortus, tam ab eo qui genuit quem à loco, in quo est quispiam ortus, ut: *Pater respectu filiorum: Patria respectu hominum in ea natorum.*

3. Genus tertio modo dicitur id, sub quo species collocatur, ut: *Animal, corpus, color.*

Definitio generis Logici.

Genus est id, quod de pluribus specie differentibus hoc ipso quid est, prædicatur. Ut: *Animal, corpus, color.*

Acceptiones Speciei.

1. Species priori modo dicitur uniuscujusque forma. Ut: *Pulchritudo Ioannis, vel deformitas*

2. Species posteriori modo dicitur id, quod sub assignato genere collocatur. Vt: *Homo, animal, albedo.*

Definitiones speciei Logicae.

1. Species est id, quod subicitur generi. Vt: *Homo, &c.*

2. Species est, de qua genus hoc ipso, quid est prædicatur. Vt: *Homo, &c.*

3. Species est id, quod de pluribus differentiibus numero hoc ipso, quid est, prædicatur. Vt: *Homo, equus, albedo.*

Definitiones generis generalissimi.

1. Genus generalissimum est, quod genus est & non species. Vt: *Substantia, quantitas, &c.*

2. Genus generalissimum est, supra quod nullum aliud omninò genus transcendit. Vt: *Substantia, &c.*

Genera generalissima sunt decem: *Substantia, Quantitas, Qualitas, Ad aliquid Actio, Passio, Vbi, Quando, Situs, & Habitus.*

Definitiones speciei specialissimæ.

1. Species specialissima est, quæ species est, & non genus Vt: *Homo, equus, albedo.*

2. Species specialissima est; quæ alias in species ullas dividi nequit Vt: *Homo, &c.*

3. Species specialissima est, quæ de pluribus differentiibus numero hoc ipso, quid est, prædicatur. Vt: *Homo, &c.*

Definitio subalternarum.

Subalterna genera, speciesque sunt, quorum unumquodq; species genusq; est, non respectu

tamen

tamen est ejusdem, sed diversorum. Vt: *Animal*,
Corpus animatum, *corpus*.

Regula Attributionum, sive Prædicationum.

1. Genus semper de specie prædicatur, omniaque omninò supera de inferis semper dicuntur; species verò neque de propinquo sibi genere, neque de ullo supero prædicatur. Vt: *Animal* prædicatur de homine, non contra, &c.

2. De quibus species prædicatur, de his & speciei genus, & genus etiam generis usque ad generalissimum necessariò prædicabitur. Vt: *Quia Socrates est homo, ideo etiam Socrates est animal & vivens, & corpus, & substantia.*

3. Generalissimum de generibus & speciebus ac individuis omnibus prædicatur: genus autem quod est ante specialissimam speciem de universis specialissimis ac individuis dicitur: & species ea, quæ est solùm species, de omnibus individuis prædicatur: & individuum de uno solo particulari. Vt: *Substantia dicitur de corpore & spiritu, &c.*

Definitiones Individui.

1. Individuum est, quod prædicatur de uno solo particulari. Vt: *Ioannes, Petrus, hic homo.*

2. Individuum est, quod ex proprietatibus constat quarum idem aggregatum nunquam in alio fiet. Vt: *Ioannes, &c.*

Divisio Individui generatim sumpti.

Individuum generatim sumptum est quadruplex: determinatum ex nomine, determinatum

ex demonstratione, Individuum vagum, & Individuum ex hypothefi.

Individuum determinatum ex nomine est nomen proprium alicujus rei. Ut : *Ioannes, Petrus* :

Individuum determinatum ex demonstratione est, quod constat nomine communi & pronomine demonstrativo, ut : *Hic homo, ille canis*

Individuum vagum est, quod constat nomine communi & signo particulari, ut : *aliquis homo*.

Individuum ex hypothefi est, quod absolutè quidem dici potest de multis, factà tamen certâ suppositione de uno tantùm potest affirmari, ut : *Filius Sophronisci*, pro Socrate, supposito, quòd Sophroniscus unicum filium habeat, scilicet Socratem.

Acceptiones differentia.

Differre dicitur aliquid tripliciter : Communiter, propriè & propriissimè.

1. Differre quippiam communiter dicitur, cum diversitate quovis modo, aut à seipso, aut ab alio differt, ut : *Paries albus differt à nigro per albedinem*.

2. Propriè aliqua differre dicuntur, cum inseparabili differunt accidente, ut : *Cygnus differt à corvo per albedinem*,

3. Propriissimè quippiam à quopiam differre dicitur, cum specifica differentia differt, ut : *Homo differt à bruto per rationale*.

Defini-

Definitiones differentia Logica.

1. Differentia est, qua species genus excedit, ut, *rationale*, respectu hominis, *sensitivum*, respectu animalis.

2. Differentia est id, quod de pluribus, & differentibus specie, hoc ipso quale quid est predicatur, ut, *rationale*, *sensitivum*.

3. Differentia est id, quod suapte natura ea quae sunt sub eodem genere, separat, ut, *rationale*, &c.

4. Differentia est id, quo singula differunt, ut, *rationale*, &c.

Acceptiones Proprii.

1. Proprium primo modo est id, quod non cuiuspiam accidit speciei, etsi non omni, ut, *mederi*, respectu hominis.

2. Proprium secundo modo est id, quod omni accidit speciei, etsi non soli, ut, *bipedem esse*, respectu hominis.

3. Proprium tertio modo est id, quod soli accidit, & omni, atque quandoque, ut, *canescere* respectu hominis.

4. Proprium quarto modo est id, in quod omnia convenerunt, ut soli, & omni, semperque accidat, ut, *risibile*, respectu hominis.

Definitiones Accidentis.

1. Accidens est, quod adest atque abest sine subjecti corruptione, ut, *album* respectu parietis, *nigrum*, respectu corvi.

2. Accidens est, quod inesse ac non inesse eidem potest, ut, *album*, &c.

3. Accidens est, quod neque genus, neque

8 EX ANTEPRÆDICAM.

species neque differentia, neque proprium est, semper autem est in subjecto, ut, *album* &c.

Divisio Accidentis.

Accidentium aliud separabile, aliud inseparabile.

Accidens separabile est, quod re ipsa & facile à subjecto abesse potest sine ipsius corruptione; ut, *album*, respectu parietis, *dormire*, respectu hominis.

Accidens inseparabile est, quod re ipsa nullo modo, vel ægrè admodum abesse potest à subjecto sine ipsius corruptione, ut, *calidum*, respectu ignis, *nigrum corvi*.

EX ANTEPRÆDICAMENTIS.

Definitiones Antepredicamentales.

Aquivoca dicuntur ea, quorum nomen solum commune est, ratio verò substantiæ nomini accommodata diversa. Ut, *canis domesticus*, & *sidus cæleste*, respectu nominis *canis*.

2. Univoca dicuntur, quorum & nomen commune est, & ratio substantiæ nomini accommodata eadem est, ut *homo* & *brutum*, respectu nominis *animal*.

3. Denominativa ea dicuntur, quæ ab aliquo nominis appellationem habent, iolo differentia casu, Ut, *fortis*, respectu hujus abstracti, *fortitudo*.

Divisio

EX ANTEPRÆDICAM.

Divisiones antepredicamentales.

1. Eorum quæ dicuntur, alia cum complexione, alia sine complexione dicuntur. Prioris membri exemplum, ut, *homo currit*, posterioris, ut, *homo*.

2. Eorum quæ sunt, alia de subiecto quidem dicuntur, in nullo verò sunt prorsus subiecto. Alia in subiecto quidem sunt, de nullo verò subiecto dicuntur. Alia de subiecto dicuntur, & in subiecto etiam sunt, alia neque in subiecto sunt, neque de subiecto ullo dicuntur. Exemplum primi membri, ut *homo*. 2. ut *hæc albedo*, 3. ut, *albedo*, 4. ut, *Ioannes*.

Definitio entis in subiecto.

Id in subiecto esse dico, quod in aliquo quidem est, & non uti pars: ut sit autem seorsum ab eo in quo est, fieri nequit, ut, *albedo in pariete*.

Regula Antepredicamentales.

1. Cùm quippiam de quopiam prædicatur, ut de subiecto, ea quæ de prædicato dicuntur, dicuntur etiam de subiecto, ut, *Ioannes est homo*, *homo est animal*, ergo *Ioannes est animal*.

2. Eorum quæ sunt diversa genera, & non ita se habent ut alterum sub altero collocetur, diversæ sunt species & differentiæ. Eorum tamen generum, quorum alterum sub altero collocatur, eandem esse differentias, nihil obstat.

Prioris membri exemplum, ut, *Animal & Scientia* Posterioris, *Animal &*

corpus

A 5

DK

EX PRÆDICAMENTIS.

Definitio ac divisio substantia.

Substantia est ens per se existens, ut, *Ioannes, homo, brutum.*

Substantia dividitur in primam & secundam.

Prima substantia est, quæ neque de subiecto ullo dicitur, neque in ullo prorsus est subiecto, ut, *Ioannes, Petrus, &c.*

Secundæ substantiæ dicuntur, & eæ species in quibus eæ quæ primò dicuntur substantiæ insunt, & harum specierum etiam genera, ut, *homo, animal & corpus.*

Proprietates substantia.

1. Commune est omni substantiæ in subiecto non esse.

2. Inest autem substantiis, differentiisque omnes univocè ut prædicentur.

3. Omnis substantia hoc aliquid significare videtur.

4. Competit præterea substantiis, & nihil ipsis contrarium esse.

5. Substantia non suscipere gradus videtur, ut sit magis minusvè talis.

6. Maximè substantiæ proprium hoc esse videtur; idem inquam unumque numero permanens contrariorum esse susceptivum.

Definitio ac divisiones Quantitatis.

Quantitas est secundum quam aliquid dicitur quantum, vel aliqua dicuntur aliquod, ut, *linea bipedalis, ternarius.*

Divi-

Dividitur primò Quantitas in continuam & discretam.

Quantitas continua est, cujus partes aliquo termino communi copulantur; ut: *Linea*.

Dividitur quantitas continua in permanentem sive magnitudinem, & successivam sive tempus.

Quantitas permanens sive magnitudo est, cui non repugnat habere omnes partes simul existentes, ut: *Linea*.

Dividitur in lineam, superficiem & corpus.

Linea est longitudo longa, non lata, cujus partes puncto copulantur,

Superficies est magnitudo longa & lata, non profunda, cujus partes lineâ copulantur,

Corpus est magnitudo longa, lata & profunda, cujus partes superficie copulantur.

Quantitas successiva sive tempus est, cui repugnat habere omnes partes simul existentes, ut: *Hora, dies, annus*.

Quantitas discreta est, cujus partes nullo termino communi copulantur, ut: *Binarius, ternarius, &c.*

Dividitur in numerum & orationem.

Numerus est quantitas discreta permanens, ut: *Ternarius*.

Oratio est quantitas discreta successiva, ut hæ voces probatæ: *Ioannes ambulat*.

Dividitur secundò quantitas hoc modo. Quantum partim ex habentibus positionem partibus, partim ex non habentibus constat.

Exem.

Exemp'um prioris membri, ut : *Linea*, Posterioris, ut : *Numerus*.

Proprietates Quantitatis.

1. Quantitati nihil est contrarium. (tit.)
2. Quanto magis ac minus esse non competit.
3. Proprium quantitatis est maximè æqualitas & inæqualitas.

Definitiones Ad-aliquid.

1. Ea dicuntur Ad-aliquid, quæ id, quod sunt aliorum esse, aut ad aliud aliquo alio modo dicuntur. Vt: *Pater & filius, majus & minus.*

2. Ea sunt Ad-aliquid, quorum esse idem est ei, quod est Ad-aliquid aliquo modo se habere, ut: *Pater & filius, &c.*

Proprietates Ad-aliquid.

1. Est contrarietas in hisce, quæ Ad-aliquid sunt, ut: *Scientia* (quæ est Ad-aliquid secundum dici) est contraria *ignorantia*.

2. Videntur etiam ea, quæ sunt Ad-aliquid, & gradus suscipere, ut magis minusve talia sunt. Vt: *Simile, dissimile, &c.*

3. Vniuersa quæ sunt Ad-aliquid, ad ea dicuntur, quæ convertuntur Vt: *Pater est filii pater, &c.*

4. Ea quæ sunt Ad-aliquid, simul natura esse videntur.

Definitio ac divisio qualitatis.

Qualitas est, quâ quales quidam dicuntur. Vt: *Albedo scientia, &c.*

Qualitatis quatuor sunt species: *Habitus* vel *dispositio*, *Vis naturalis* vel *imbecillitas*, *Patibilis* qualitas vel *passio*, *Figura* vel *Forma*.

Habi-

Habitus vel dispositio est qualitas acquisita vel infusa, qua subiectum redditur promptum ad operandum, difficulter vel facillè mobilis. Vt: *Habitus cytharisandi, scientia, virtus.*

Vis naturalis vel imbecillitas est qualitas à natura insita, quâ subiectum redditur potens vel impotens ad aliquid faciendum, aut resistendum, aut suscipiendum suam perfectionem. Vt: *Vis audiendi in iuvene, imbecillitas in sene. Item durities in ferro, mollities in cera. Denique vis naturalis, per quam aliquis dicitur facillè sanibilis, & imbecillitas per quam aliquis dicitur insanibilis.*

Patibilis qualitas vel passio est qualitas unico sensu exteriori perceptibilis, vel appetitus affectio, difficulter aut facillè mobilis, Vt: *Albedo, nigredo, ira, odium, &c.*

Terminatam consequens, ut: *Triangulus, quadratum, &c.*

Definitio Qualium.

Qualia sunt ea, quæ denominativè ab ipsis, aut alio aliquo modo dicuntur. Vt: *Album, nigrum, &c.*

Proprietates Qualitatis.

Contrarietas in qualitate esse videtur. Vt: *Albedo contraria est nigredini.*

2. Qualia ipsa gradus suscipiunt, ac magis talia minusve dicuntur. Vt: *Vnum album dicitur magis album quam alterum.*

3. Similia dissimiliaque per qualitates solas dicuntur. Vt: *Duo parietes albi sunt similes, ratione suarum albedinum, &c.*

Definitio

4 EX PRÆDICAMEN.

Definitiones Actionis & Passionis.

Actio est forma, à qua quippiam dicitur agere. Vt: *Calefactio*, per quam ignis dicitur calefacere lignum.

Passio est forma, à qua quippiam dicitur pati. Vt: *Calefactio*, per quam lignum dicitur calefieri ab igne.

Proprietates Actionis & Passionis.

1. Suscipit ipsum agere pative contrarietatem. Vt: contraria sunt, *Calefacere & frigefacere, calefieri & frigesieri*.

2. Gradus quoque suscipiunt, ut magis atque minus dicantur. Vt: *Vnus ignis dicitur magis calefacere, quam alius.*

Definitiones Vbi, Quando, Situs, Habitus.

Vbi est præsentia rei in loco, ut: *Esse in Schola, Foro, &c.*

Quando est existentia rei in tempore, ut: *Fuisse heri, esse hodie, &c.*

Situs est dispositio partium in toto, in ordine ad locum. Vt: *Stare, sedere, cubare.*

Habitus est indumenti vel ornamenti ad corpus applicatio, ut: *Esse calceatum, coronatum, &c.*

EX POST PRÆDICAMENTIS.

Definitio ac divisio repugnantium.

Repugnantia sunt, quæ de eodem singulari simul verè affirmari non possunt, ut: *Album & nigrum.* (sita.

Repugnantium alia sunt disparata, alia oppo-

Opposita sunt, quæ præcisè repugnant, ut:

Album & nigrum.

Dispa-

Disparata sunt, quæ non præcisè repugnant.
Ut, *Homo & equus, album & rubrum.*

Divisio Oppositorum.

Opposita sunt quadruplicia, Relativè opposita, Contraria Privativa, & Contradictoria.

Relativè opposita sunt, quæ id quod sunt oppositorum, aut alio aliquo modo ad illa dicuntur, ut, *Pater & filius, majus & minus.*

Contraria sunt, quæ posita sub eodem genere maximè à se invicem distant, eidem subjecto susceptivo vicissim insunt à quo se mutuo expellunt, nisi alterum insit à natura, ut, *album & nigrum.*

Contrariorum alia sunt immediata, alia mediata.

Contraria immediata dicuntur, quæ talia sunt, ut ipsorum alterum necessario rebus iis insit in quibus aptum est fieri, aut de quibus prædicatur. ut, *agrum & sanum, par & impar.*

Contraria mediata sunt, quorum alterum inesse necesse non est, ut, *album & nigrum.*

Privantia sunt habitus & privatio illi opposita, ut, *visus & cæcitas.*

Contradictoria sunt, quæ nullum habent medium, ut, *homo & non homo, album & non album.*

Proprietates Contrariorum.

I. Malum non necessario contrarium est: ac malo interdum bonum, interdum malum contrarium est. Ut, *temperantia contrario est intemperantia, avaritia liberalitas & prodigalitas.*

2. Non

2. Non necessarium est, si contrariorum alterum sit, & reliquum esse. ut, *Si omnia sint alba, Albedo quidem erit, non autem nigredo.*

3. Fieri non potest, ut ambo simul eidem insint, ut, *sanitas & ægritudo non possunt eidem convenire.*

4. Patet etiam & circa idem aut specie, aut genere contraria fieri solere. Prioris partis exemplum est, *justitia & injustitia*, posterioris, *albedo & nigredo.*

5. Contraria insuper omnia, aut eodem in genere, aut contrariis in generibus esse, aut ipsa genera esse necesse est. Primæ partis exemplum est, *albedo & nigredo.* Secundæ, *justitia & injustitia*, Tertiæ, *bonum & malum*, non ex sententia Aristotelis, sed quorundam veterum,

Modi prioris quinque.

Tempore, natura, prius ordine, dicet honore.

Et causa effectus dicitur esse prior.

Primo modo, *Plato est prior Aristotele*: secundo, *unum est prius duobus*, tertio, *exordium narrationis*. quarto, *aurum argento*: quinto, *ortus solis die.*

Modi simul tres.

Tempore dico simul, quorum generatio nunc est.

————— Quæ convertuntur; dicimus esse simul.

Suntque simul species genus unum distribuentes.

Primo modo simul sunt duo eodem tempore

nati

nati, secundo, Dominus & servus: tertio, homo & brutum.

Modi habendi octo

Affectum, quantum, vestitum, die velut aurum.

Membrum, contentum, possessio, sponsa maritum.

EX LIB. DE INTERPRET.

Hypotheses.

1. EA, quæ in voce versantur, signa sunt affectuum, qui in anima sunt; & ea quæ scribuntur, notæ sunt eorum; quæ in voce versantur.

2. Vti non eadem sunt apud omnes homines literæ, sic neque voces eadem sunt: affectus autem, quorum hæc signa sunt primò, apud omnes homines iidem sunt: res quoque quarum hi similitudines sunt; easdem itidem esse constat.

3. Quemadmodum in anima conceptus interdum sine veritate falsitateve est, interdum verò talis, ut alterum horum ei competat necessario, sic & in voce esse videtur.

Definitio Nominis & Verbi.

Nomen est vox significativa ex instituto, sine tempore, cuius nulla pars significat separata. Ut: homo.

Verbum est, quod insuper tempus significat; & cuius nulla pars seorsim significat, atque semper eorum, quæ de altero dicuntur; est signum.

Ut: Amo.



Definitio ac divisio Orationis.

Oratio est vox significativa, cujus partium aliqua separata significatur dictio, sed non ut affirmatio vel negatio, ut: *Homo albus, homo est animal.*

Orationum alia imperfecta, alia perfecta.

Imperfecta est, quæ non gignit sensum perfectum in animo audientis. Vt: *Homo albus;*

Perfecta est, quæ gignit perfectum sensum in animo audientis. Vt: *Homo est animal.*

Perfecta dividitur in enuntiativam & non enuntiativam.

Perfecta non enuntiativa est, in qua nec est verum, nec falsum. Vt: *Sis felix.*

Enuntiatio est oratio, quæ vera est vel falsa. Vt: *Homo est rationalis.*

Divisiones Enunciationis.

1. Dividitur in unam & plures.

Enuntiatio una dicitur aut ea, quæ unum significat, ut ea quæ conjunctione est una. Prioris partis exemplum est: *Homo est animal.* Posterioris, *Si homo est, animal est.*

Enuntiationes plures sunt eæ, quæ plura & non unum significant, aut eæ, quæ carent conjunctione. Prioris partis exemplum est, *Vidi canem.* Posterioris, *Dies est, lux est.*

2. Dividitur enuntiatio una in simplicem & compositam, sive in categoricam & hypotheticam.

Enuntiatio simplex est aliquid dicens de aliquo, aut aliquid ab aliquo removens. Vt: *Homo est animal, homo non est brutum.*

Enun-

Enunciatio composita est, quæ constat pluribus enunciationibus simplicibus tanquam præcipuis partibus, ut, *si dies est, lux est.*

Dividitur enunciatio simplex in affirmationem & negationem.

Affirmatio est alicujus de aliquo enunciatio, ut, *Aristoteles est philosophus.*

Negatio est enunciatio, qua aliquid ab aliquo dicitur. ut *Vitium non est amandum.*

Definitio & divisio Oppositarum.

Oppositæ sunt affirmatio & negatio ejusdem de eodem non æquivocè. ut, *Omnis homo est doctus, nullus homo est doctus.*

Oppositæ sunt triplices: contrariæ, subcontrariæ, contradictoriæ.

Contrariæ sunt, quarum una de universali enunciat competere, altera non competere. ut, *Omnis homo est doctus, nullus homo est doctus.*

Subcontrariæ sunt, in quibus de universali non universaliter enunciatur. ut, *Aliquis homo est doctus, aliquis homo non est doctus.*

Contradictoriæ sunt, quarum altera universaliter significat de eodem, altera verò non. ut, *Omnis homo est doctus, Aliquis homo non est doctus.*

Subalternæ sunt, duæ propositiones constantes eodem prædicato & subjecto ejusdem qualitatis, sed diversæ quantitatis ut *Omnis homo est animal, Aliquis homo est animal.*

Leges Subalternarum & Oppositarum.

Ex veritate subalternantis sequitur veritas subalternatae; non tamen ex falsitate subalternantis sequitur falsitas subalternatae. Econtra ex falsitate subalternatae sequitur falsitas subalternantis, non tamen ex veritate subalternatae sequitur veritas subalternantis.

Contrariae non possunt esse simul verae, possunt tamen esse simul falsae.

Subcontrariae possunt esse simul verae, non simul falsae.

Contradictoriae nec simul verae, nec simul falsae esse possunt.

Regula Equipolentiarum.

Præ contradic, post contra præ postque subalter.

Regula de predicatis divisis non conjungendis.

1. Quaecunque cum vel prædicari de aliis, vel aliis subiici apta sint, per accidens de eodem aut alterum de altero prædicatur, ea unum non erunt. Unde inepta est argumentatio, *Homo est albus, Homo est musicus, ergo est albus musicus.*

2. Præterea nec unum ea dicentur, quorum alterum alteri inest. Inepta ergo est hæc collectio: *Ioannes est homo, Ioannes est animal, ergo Ioannes est homo animal.*

Regula de predicatis conjunctis, non dividendis.

1. Cum in eo quod adjunctum est, repugnans quippiam sic inest, ut ad id contradictio sequatur, ibi non verum, sed falsum dicetur: Unde
non

non sequitur, *Cadaver est homo mortuus, ergo Cadaver est homo.*

2. Quando alterum prædicatorum secundum accidens enunciatur, tunc non recte dicuntur de eodem subjecto. unde non sequitur, *Homerus est poeta, ergo Homerus est.*

EX LIBRIS PRIORVM.

Definitio & divisio Propositionis.

Propositio est alicujus de aliquo affirmativa negative oratio, ut, *Homo est animal.*

Dividitur in universalem, particularem, & indefinitam

Universalis est cum aliquid aut omni aut nullo inesse significat, ut, *omnis homo est animal.*

Particularis est, cum alicui, aut non alicui, aut non omni inesse significat, ut, *Aliquod animal est rationale*

Indefinita est, cum quid inesse vel non inesse sine universali, particularive nota significat, ut, *Homo est animal.*

Definitio & Divisio Termini.

Terminus est, in quem resolvitur propositio, ut prædicatum, & de quo id prædicatur. Ut in hac propositione, *Homo est animal*, termini sunt, *Homo est Animal.*

In omni syllogismo sunt tres termini, majus extremum, minus extremum, & medium.

Medium est terminus, qui bis in antecedente syllogismi ponitur.

Extremum in genere est, quod semel tantum in antecedente syllogismi ponitur.

Majus extremum est, quod in antecedente syllogismi præstantiorem locum obtinet.

Minus extremum est, quod in antecedente syllogismi minus præstantem locum obtinet.

Numerus Enunciationum in syllogismo.

In omni syllogismo sunt tres enunciationes major propositio, minor propositio, conclusio.

Major propositio est illa pars antecedentis, in qua ponitur majus extremum.

Minor propositio est illa pars antecedentis, in qua ponitur minus extremum.

Conclusio est enuntiatio, quæ ex aliis infer-
tur.

Definitio & divisio syllogismi.

Syllogismus est oratio, in qua quibusdam positus, aliud quiddam ab his quæ posita sunt, necessario accidit, eò quod hæc sunt. Ut, *Omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia.*

Dividitur in perfectum & imperfectum.

Syllogismus perfectus est, qui nullius alius indiget præter ea quæ sumpta sunt, necessarium ut appareat. Ut exemplum jam allatum.

Syllogismus imperfectus, qui unius pluriumve eget. Ut *Omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo aliqua substantia est homo.*

Definitio & divisio Conversionis in terminis non va-
riatis.

Con-

Conversio est subiecti in prædicatum, & prædicati in subiectum, manente eadem qualitate enunciationi, mutatio, Vt: *Omnis homo est animal, ergo aliquod animal est homo.* (dens,

Conversio est duplex: Simplex & per acci-

Conversio simplex est, in qua servatur eadem quantitas propositionum. Vt: *Nullus homo est brutum, ergo nullum brutum est homo.*

Conversio per accidens est, in qua mutatur quantitas propositionum. Vt: *Omnis homo est animal, ergo aliquod animal est homo.*

Regula Conversionum.

1. Uniuersalis negativa convertitur simpliciter & per accidens.
2. Uniuersalis affirmativa convertitur per accidens, non simpliciter
3. Particularis affirmativa convertitur tantum simpliciter.
4. Particularis negativa non convertitur.

Definitio dicti de omni & de nullo.

Prædicatio de omni est, cum nihil sumere subiecti est, de quo alterum non dicatur, ut prædicatum hujus propositionis: *Omnis homo est animal.*

De nullo prædicari est, cum nihil sumere subiecti est, à quo alterum non removeatur. Vt prædicatum hujus propositionis: *Nullus homo est brutum.*

Principia dirigentia desumpta ex dictis de omni & de nullo.

1. Quidquid dicitur de subiecto universè sumpto, dicitur & de quovis, quod subsumitur sub illo

2. Quidquid negatur de subiecto universè sumpto, negatur & de quovis, quod subsumitur sub illo.

Definitio & divisio Figura.

Figura syllogistica est dispositio mediæ cum extremis secundum subjectionem & prædicationem.

Figura est triplex: Prima, secunda, tertia.

Prima, in qua medium semel subicitur, & semel prædicatur, ut: *Omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia.*

Secunda est, in qua medium bis prædicatur. Vt, *Nullum brutum est rationale, omnis homo est rationalis, ergo nullus homo est brutum.*

Tertia est, in qua medium bis subicitur. Vt: *Omnis homo est rationalis, omnis homo est animal, ergo aliquod animal est rationale.*

Definitio & divisio Modi

Modus syllogisticus est trium enunciationum syllogismi dispositio secundum quantitatem & qualitatem.

Modorum alius directus, alius indirectus.

Directus est, in quo majus extremum concluditur de minori Indirectus est, in quo minus extremum concluditur de majori.

Modi primæ Figure

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipon.

Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.

Modi

Modi secunde Figure.

Cælare, Camestres, Festino, Baroco.

Modi tertiæ Figure.----- Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.*Regule generales Syllogismorum.*

1. In syllogismo tres tantum termini esse possunt.
2. Medium syllogisticum non potest ingredi conclusionem.
3. In altera præmissarum medium debet distribui.
4. Ex puris particularibus nihil sequitur.
5. Ex negativis nihil sequitur.
6. Quando altera præmissarum est particularis, conclusio etiam debet esse particularis.
7. Quando altera præmissarum est negativa, conclusio etiam debet esse particularis.
8. Quando altera præmissarum est negativa, conclusio etiam debet esse negativa.

Regula speciales prima Figure

Sit minor affirmans, nec major sit specialis.

Regula speciales secunda Figure.

Vna negans præ eat, nec major sit specialis.

Regula speciales tertiæ Figure.

Sit minor affirmans, conclusio sit specialis.

Definitio & divisio Reductionis.

Reducere syllogismum, est ex syllogismo imperfecto, peritium facere, ut ostendatur imperfectus fuisse legitime.

Triplex est reductio, ostensiva, per expositionem & per impossibile.

Reductio ostensiva est, cum in syllogismo perfecto, ad quem fit reductio, inferitur eadem conclusio, quæ inferebatur in imperfecto, vel certè ejus conversa, retento eodem medio.

Reductio per expositionem est, cum medio singulari substituto in locum medii communis inferitur eadem conclusio, quæ inferebatur in syllogismo de medio communi

Syllogismus expository (per quem fit hæc reductio) est, qui constat medio singulari. Vt: *Ioannes est probus, Ioannes est homo, ergo aliquis homo est probus.*

Reductio per impossibile est, cum ex contradictoria conclusionis & una præmissarum inferitur contradictoria alterius præmissæ.

Definitio Contingentis.

Contingens est, quòd cum non existat necessario, esse verò ponatur, nihil inde impossibile sequitur. Vt: *hominem ambulare.*

Regule Consequentiarum.

1. Ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis. Vt: *Si est homo, est animal, ergo si non est animal, non est homo.*

2. Ex opposito antecedentis non necessario sequitur oppositum consequentis. Vt non sequitur: *Si est homo, est animal, ergo si non est homo, non est animal.*

3. Consequens & oppositum antecedentis eidem convenire possunt, Vt: *Animal & non homo conveniunt equo.*

4. Antecedens & oppositum consequentis eidem convenire non possunt, ut, *non possunt simul eidem inesse homo & non animal.*

De potestatibus syllogismorum.

Potestates syllogismorum sunt sex : potestas concludendi plura, concludendi ex falsis verum in orbem probandi, per conversionem concludendi, per impossibile concludendi, & ex oppositis concludendi.

Concluduntur plura 4. modis. 1. per illationem particularis ex universali.

2. Per conversionem conclusionis:

3. Per subsumptionem sub medio.

4. Per subsumptionem sub subjecto conclusionis.

Ex veris falsum effici non potest, ex falsis autem verum nonnunquam concluditur, non tamen propter quid, sed quia.

Probare in orbem est ex conclusione & convertente unius ex antecedentis enunciationibus, alteram ejusdem antecedentis enuntiationem concludere.

Concludere per conversionem est, ex contradictoria vel contraria conclusionis & altera præmissarum, concludere contradictoriam vel contrariam alterius præmissæ.

Concludere per impossibile est ex contradictoria propositionis veræ ab adversario negatæ, & altera manifeste vera, inferre conclusionem manifestè falsam, ex cujus falsitate apparet veram fuisse propositionem negatam.

Con-

Concludere ex oppositis est ex duabus contrariis vel contradictoriis ab adversario concessis inferre negationem ejusdem de seipso.

De defectibus syllogismorum.

Defectus syllogismorum sunt tres, petitio principii, non propter hoc accidere falsum, & fallacia opinionis.

Petere principium, est idem per idem aut per aliud æquè ignotum, vel ignotius probare.

Non propter hoc accidere falsum est, cum falsitas conclusionis attribuitur alicui præmissæ, ut causæ, quæ tamen non est causa.

Fallacia opinionis est assensus duarum contrariarum vel contradictoriarum, utriusque in universali, vel unius in particulari, & alterius in universali.

Definitio Inductionis.

Inductio est à singularibus ad universalialia accessio. Ut, Petrus est risibilis, Ioannes est risibilis, & sic de cæteris, ergo omnis homo est risibilis.

Definitio Exempli

Exemplum propriè dictum est ab uno singulari ad aliud propter aliquam similitudinem progressio. Ut, David pœnitens misericordiam impetravit, ergo & nos impetrabimus, si pœnitentiam egerimus.

Exemplum impropriè dictum est ab uno singulari ad universale progressio. ut, David pœnitens misericordiam impetravit, ergo omnis pœnitens misericordiam impetrabit.

Defi-

Definitio Enthimematio.

Enthimema est syllogismus imperfectus ex verisimilibus & signis. ut, *omne animal est substantia, ergo omnis homo est substantia.*

Verisimile est propositio probabilis. ut, *omnis mater diligit filium.*

Signum est propositio demonstrativa vel necessaria, vel probabilis, ut, *omne animal rationale est risibile, omnis mater diligit filium.*

EX LIBRIS POSTERIORVM

Hypotheses.

i. **O**Mnis doctrina, omnisque disciplina intellectiva præexistente cognitione fit.

2. Dupliciter prænosse necesse est: quædam enim esse, quædam quid significant, quædam utroque modo antea percipiamus oportet.

3. Fit autem, ut quæ cognoscimus, eorum quædam prius etiam cognoverimus, quorundam vero cognitionem simul accipiamus.

4. Ante quam facta inductio vel ratiocinatio sit, partim fortasse nos scire, partim nescire dicendum est.

Definitio scientiæ.

Scire arbitramur, cum causam, ob quam res est, & illius causam esse, & fieri non posse, ut taliter sese habeat, cognoscere arbitramur.

Definitiones Demonstrationis.

i. Demonstratio est ratiocinatio, quæ scientiam efficit. ut, *omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis.*

2. De

2. Demonstratio est syllogismus ex primis & veris, & immediatis, & ex notioribus & prioribus ipsa conclusione, causisque eisdem, *ut supra.*

Definitio & divisio propositionis.

Propositio est altera enunciationis pars, unum de uno complectens. ut, *omne animal rationale est risibile.*

Dividitur in Dialecticam & Demonstrativam.

Propositio dialectica est, quæ similiter utramvis partem accipit. ut, *Estne ens univocum an non.*

Propositio demonstrativa est, quæ definite alterum, quod est verum accipit: ut *Omne animal rationale est risibile.*

Definitio Contradictionis.

Contradictio est oppositio, ejus per se medium nullum est. ut, *omne animal rationale est risibile, & aliquod animal rationale non est risibile.*

Definitio & divisio propositionis immediate.

Propositio immediata est, qua nulla est alia prior, ut, *omne animal rationale est risibile.*

Dividitur in propositionem & dignitatem, sive in thesin & axioma.

Propositio est principium immediatum, quod fieri nequit, ut demonstretur, quodque non necesse est eum, qui discit habere. ut *omne compositum ex materia & forma est mobile.*

Dignitas est principium immediatum, quod necesse est habere omnem eum, qui discere aliquid parat, ut, *Quodlibet est, vel non est.*

Divi-

Divisio Positionis

Positio dividitur in suppositionem & definitionem.

Suppositio (*alias hypothesis*) est, quæ utramvis enuntiationis accipit partem, ut: *Omne compositum ex materia & forma est mobile.*

Definitio est, in qua neutrum accipitur, ut: *Compositum ex materia & forma, Animal rationale, &c.*

Definitio dicti de omni.

Dictum de omni est, quod non cuidam inest: neque quod interdum competit, ut: *Predicatum hujus propositionis, homo est animal.*

Definitiones modorum per se.

1. Primo modo per se sunt, quæ in ratione quid est, dicente sunt. Vt: *Animal per se predicatur de homine.*

2. Secundo modo ea per se insunt, quorum in ratione, quæ quid est patefacit, subjecta quibus insunt, collocantur. *Ita risibile convenit homini.*

3. Tertio modo id per se dicimus, quod non de subiecto alio dicitur ullo ut: *Homo existit per se.*

4. Quarto modo id per se dicimus, quod unicuique per se competit, ut: *Attributum hujus propositionis, jugulatus interiit.*

Definitio universalis.

Universaliter id competere dico, quod de omni dicitur, & per se, atque hoc planè quod ipsum est, ut: *Risibile respectu hominis.*

Defi-

Definitio & divisio Principiorum.

Principia sunt, quæ fieri nequit, ut demonstrentur. Ut: *Quodlibet est, vel non est, &c.*

Dividuntur in communia & propria.

Principia communia sunt, quæ conveniunt omnibus, vel saltem multis scientiis. Ut: *Quodlibet est, vel non est. Omne totum est majus sua parte.*

Principia propria sunt, quæ tantum conveniunt uni scientiæ. Ut: *Omne compositum ex materia & forma est mobile.*

Divisio Demonstrationis.

Demonstratio dividitur in demonstrationem propter quid, & demonstrationem quia est.

Demonstratio propter quid est, quæ procedit ex causa adæquata, ut: *Omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis.*

Demonstratio quia est, dicitur, quæ procedit ab effectu, vel signo, vel causa remota. Exemplum primi membri. Ut: *Quæ non scintillant, prope sunt planetæ non scintillant, ergo planetæ prope sunt.* 2. Ut: *Quidquid circulariter illuminatur, est rotundum, Luna circulariter illuminatur, ergo Luna est rotunda.* 3. Ut: *Omne respirans est animal, lapis non est animal, ergo lapis non respirat.*

Definitio scientiæ unius & diversarum.

Scientia una est, quæ unius est generis: quæ concititur ex primis, & sunt partes, aut affectus horum per se, ut: *Physica.*

Diversæ scientiæ sunt, quarum principia ex eis-

eisdem non sunt, nec ex unius principiis principia alterius proficiuntur, ut, *Physica & Mathematica.*

Definitio solertia.

Solertia est conjectatio mediij in tempore admodum brevi, ut, *si quis advertens Lunam ea parte, qua Solem adspicit, semper Lucidam esse statim cognoscat Lunam illuminari à Sole.*

EX LIBRIS TOPICORUM.

Divisio Syllogismi.

Definitionem syllogismi vide in lib. Priorū.

Dividitur syllogismus in demonstrationem, syllogismum dialecticum, litigiosum, & pseudographum.

Demonstratio est, quando ex veris & primis syllogismus erit, aut ex talibus, quæ per aliqua prima & vera, suæ cognitionis principium sumpserunt. Exemplum prioris membri. *Ut, omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis.* Posterioris, *ut, omne risibile est rationale, omnis homo est risibilis, ergo omnis homo est rationalis.*

Primò vera sūt, quæ nō per alia, sed per seipsa fidem habent, ut, *omne animal rationale est risibile.*

Dialecticus syllogismus est, qui ex probabilibus est collectus. *Ut, omnis mater diligit filium: Hæc est mater, ergo Hæc diligit filium.*

Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus: & his vel omnib⁹ vel plurimis, vel maximè familiaribus & probatis.

Exemplum i. membri. *Omnis mater diligit filium.*

2. Honores sunt expetendi. 3. Præferenda est opibus eruditio. 4. Virtus maximè est expetenda. 5. Visio fit recipiendo.

Litigiosus est syllogismus ex ijs, quæ videtur probabilia, non sunt autè, vel qui ex probabilibus aut ex ijs, quæ videntur probabilia est apparens. Exemplum 1. membri. *Quidquid non caret oculis, habet oculos, lapis non caret oculis, ergo habet oculos.* 2. *Omnis mater diligit filium, omnis pater diligit filium, ergo omnis pater est mater.* 3. *Quidquid non perdidisti, habes, aurum non perdidisti, ergo aurum habes.*

Syllogismus pleudographus est, qui fit ex proprijs disciplinæ sumptionibus non veris. Ut, *Omnes semicirculi sunt æquales, sed semicirculus maioris circuli, & semicirculus minoris sunt semicirculi, ergo sunt æquales.*

Divisio & definitio prædicatorum.

Prædicata propria sunt quatuor, Terminus, Proprium, Genus & Accidens.

Terminus est oratio, quid erat esse significans. Ut, *animal rationale, respectu hominis.*

Proprium est, quod non indicat, quid est esse, soli autem inest, & conversim prædicatur de re, ut, *risibile, respectu hominis.*

Genus est, quod de pluribus & differentibus specie in eo, quod quid est, prædicatur. Ut, *animal, respectu hominis, & bruti.*

Accidens est, quod nihil horum est, neq; definitio, neque proprium, neque genus, inest autem rei, ut, *album respectu parietis.*

2. Accidens est, quod contingit in esse, cuius uni & eidem, & non inesse. Ut, *album.*

Di-

Divisio eiusdem & definitiones.

Idē tripliciter dicitur, numero, specie, genere.

Eadem numero sunt, quorum nomina pluralia, res autem una, ut, *indumentum & vestis.*

Eadem specie sunt, quæ cum sint plura, indifferentia sunt secundū speciē, ut, *Ioannes & Petrus.*

Eadem genere dicuntur, quæcumq; sub eodem genere sunt, ut, *homo & equus.*

Definitio propositionis Dialecticæ.

Propositio Dialectica est interrogatio probabilis, aut omnibus, aut plurimis, aut sapientibus, & his vel omnibus, vel plurimis, vel maximè familiaribus non inopinabilis, ut, *An omnis mater diligit filium? &c.*

Definitio Problematis Dialectici.

Problema Dialecticum est speculatio intendens vel ad electionem & fugam; vel ad veritatem & scientiam, aut per se, aut ut adminiculans ad aliquid aliud talium: de quo aut neutro modo opinantur, aut contrariè pleriq; sunt sapientibus, aut sapientes plerisq; aut utriq; iidem iisdem, ut, *Sunt ne decem categoriæ? an non.*

Positionis definitio

Positio est opinio admirabilis alicujus familiarium secundū Philosophiā, ut, *Sol est in centro universi.*

EX LIBRIS ELENCHORVM.

Definitio Elenchi, sive Redargutionis.

Redargutio est syllogismus, cū contradictine conclusionis. Ut, si quis defendat Medeā non amare prolem, hæc erit Redargutio, *Omnis mater diligit prolem, Medea est mater, ergo Medea diligit prolem.*

Definitio Sophisticæ & Sophistæ.

Sophistice est apparens sapientia, non existens autem.

Sophista est pecuniarum aucupator ab apparente sapientia & non existente.

Divisio Disputationum & Definitiones.

Disputationes sunt quadruplices, doctrinales, dialecticæ, tentativæ, contentiosæ.

Disputationes doctrinales sunt, quæ ex propriis principiis cujusq; disciplinæ, & non ex iis quæ videntur respondēti, colligunt. ut, *si quis sic disputet: Omne animal rationale est visibile, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est visibilis.*

Disputationes dialecticæ sunt, quæ ex probabilibus collectivæ sunt contradictionum. ut, *si quis ita disputet: Omnis mater diligit filium, Medea est mater, ergo Medea diligit filium.*

Disputationes tentativæ sunt, quæ ex iis colligunt, quæ vidētur respondententi, & quæ necessarium est eum scire, qui simulat habere scientiã. ut, *si quis tentandi causa sic disputet: Omnis pars est minus suo toto, caput est pars, ergo caput est minus suo toto.*

Disputationes contentiosæ dicuntur, quæ sunt ex iis, quæ apparent probabilia. ut, *si quis sic disputet: Quidquid non amisisti, habes, cornua non amisisti, ergo cornua habes.*

Metæ Sophisticæ.

Metæ Sophisticæ sunt quinq; , Redargutio, falsum, inopinabile, solacismus, nugatio.

Divisio fallaciæ.

Fallacia est duplex; in dictione, & extra dictionem.

Fal-

Fallacia in dictione est, quæ causã apparētix habet in dictione, seu voce. vt. *fallacia accentûs.*

Fallacia extra dictionem est, quæ causam apparentiæ habet in rebus per voces significatis. ut *fallacia consequentis.*

Divisio fallaciæ in dictione & definitione.

Fallaciæ in dictione sunt quinque, Æquivocationis, Amphiboliæ, Compositionis & Divisionis, Accentûs, Figuræ dictionis.

Fallacia æquivocationis est, quæ provenit ex voce æquivoca, æquivocè sumpta. ut, *omnis canis latrat, sidus cœleste est canis, ergo sidus cœleste latrat.*

Fallacia amphiboliæ est, quæ provenit ex oratione in vario sensu accepta. ut, *Qui arat littus, scindit terram, sed operam perdens, arat littus, ergo operam perdens scindit terram.*

Fallacia accentus est, quæ provenit ex accētū unius vocis mutato. ut, *qui lepores venatur, canibus indiget, Poëta lepores venatur, ergo canibus indiget.*

Fallacia compositionis est, cum propositio vera in sensu diviso, falsa est sensu cōposito. ut, *Possibile est omnem parietē esse albū, sed aliquis paries est niger, ergo possibile est aliquod nigrum esse album.*

Fallacia divisionis est, cum propositio vera in sensu composito, falsa est in diviso. ut, *Impossibile est album esse nigrum. Hic paries est albus, ergo impossibile est hunc parietem esse nigrum.*

Fallacia figuræ dictionis est, quæ provenit ex vocum diversarum similitudine ut, *Fons est masculini generis, ergo & frons.*

Divisio fallaciæ extra dictionem & definitiones.

Fallaciæ extra dictionem sunt septem : Fallacia accidētis, dicti secundū quid, & dicti simpliciter, ignorationis elenchi, consequentis, positionis principij, non causæ ut causæ, plurium interrogationum ut unius.

Fallacia accidēs est, in qua malè refertur aliud cōvenire rei, ex eo quod cōveniat ejus accidēti. Ut, *Animal est quadrupes, ergo homo est quadrupes.*

Fallacia dicti secundū quid, & dicti simpliciter est, in qua proceditur à dicto secundū quid, ad dictum simpliciter, vel contra. Ut, *Æthiops est albus secundum dentes, ergo est albus.*

Redargutio (*aliàs elenchus*) est cōtradictio uni⁹ ejusdē, non nominis, sed rei & nominis, nō synonymi, sed ejusdē; ex ijs quæ data sunt ex necessitate, nō cōnumerato eo quod erat in principio; secundum idem, & ad idem, & similiter, & in eodem tempore, Vide exemplum supra.

Fallacia ignorationis elenchi est in qua colligitur id, quod apparet esse contradictorium ejus quod assertum est, revera tamen non est contradictorium. Ut, *si quis defendat Platonem fuisse doctiorem Aristotele, intelligendo in rebus divinis: alius verò inferat, Platonem non fuisse doctiorem Aristotele, intelligendo in rebus humanis.*

Fallacia petitionis principij est, in qua idem probatur per idem, vel per aliud obscurius, aut æquè obscurum. Ut, *si quis probet aliquem hominem esse iustum, quia aliquis homo est iustus.*

Fallacia cōsequentis est, in qua ex consequēte infertur antecedēs, vel ex oppositio antecedētis

tis oppositum consequentis. Vt, *si homo est, animal est; sed animal est, ergo homo est.* Item, *si homo est animal est, sed homo non est, ergo animal non est.*

Fallacia non causæ ut causæ est, cùm falsitas conclusionis proveniens ex una præmissa falsa, attribuitur alteri præmissæ veræ, quæ causa non est, ut, *si quis ita discurrat, omnis virtus est laudanda, sed omnis prodigalitas est virtus, ergo omnis prodigalitas est laudanda; atqui consequens illud est falsum, ergo falsa est maior, scilicet omnis virtus est laudanda.*

Fallacia plurium interrogationum, ut unius est, cum ad plures interrogationes petitur responsio una tanquam si esset una interrogatio. Vt, *si sic petat Sophista. Homo & lapis sunt ne animal? si affirmes, inferet lapidem esse animal? si neges, inferet hominem non esse animal.*

EX P H Y S I C A

A R I S T O T E L I S,
A C P R I M O.

EX LIBRIS PHYSICORVM.

Propositiones Cap. 1. Lib. 1.

1. **I**N physica incipiendum est à principijs.
2. In principiorum investigatione procedendum est à confusis.

3. In principiorum explicatione procedendum est ab universalibus ad singularia.

Definitio & numerus principiorum.

Principia sunt, quæ nec alia ab aliis vicissim gignuntur, nec ab aliis oriuntur, & tamen ex eis oriuntur omnia. Vt, *materia.*

Principia generationis sunt tria, materia, & forma, & privatio.

Principia rei genitæ sunt duo, materia & forma.
Definitio materia prima.

Materia est id, quod cuique rei primò subest, ex quo insito aliquid per se, non aliena vi, nec per aliud efficitur, ut, *materia prima ligni.*

Proprietates materia prima.

1. Materia est pura potentia.
2. Materia est purè passiva.
3. Materia appetit omnem formam,
4. Materia est ingenerabilis & incorruptibilis.

Definitio formæ substantialis.

Forma substantialis est actus simplex, substantialis unum, per se cum materia componens, ut, *anima rationalis.*

Divisio corporum.

Eorum quæ sunt in natura rerum, alia natura sunt & constant, alia ab alijs causis originem ducunt. Prioris membri exemplum, ut, *terra.* Posterioris, ut, *sedes.*

Discrimen naturalium ab artificialibus.

Corpora naturalia intra semetipsa motus & status principia habere videntur, artificialia, talia non habent.

Definitio naturæ & divisio.

Natura est principiū quoddam & causa motus, & status ej⁹ in quo est, primò, per se, non per aliud, alienaque vi, ut, *materia ligni, forma terre.*

Naturæ in universū sunt duæ, materia & forma.
Definitio naturam habentium.

Naturam habent ea omnia, in quibus hoc tale principium inest: ut *lignum, terra, &c.*

Definitio eorum, quæ sunt à natura.

E natura esse dicuntur & hæc ipsa, & quæ per se infunt, & conveniunt. Ut, *terra motus, deorsum, respectu terra.*

Definitiones Causæ.

Causa est quæ dat esse rei.

2. Causa est id, ad cuius esse sequitur aliud, Ut, *Ignis est causa caloris.*

Genera causarum.

Genera causarum sunt quatuor, materia, forma, efficiens, finis.

Materia, i. ex quo aliquid ita conficitur, ut in re ipsa insit ac permæeat, Ut, *es respectu statua.*

Forma est ratio & definitio naturæ cuiusq; ut, *anima rationalis respectu hominis.*

Efficiens est id, unde primū mutationis, aut quietis principium dicitur, ut, *ignis respectu caloris.*

Finis est is, cuius causâ aliquid fit, ut, *sanitas respectu deambulationis.*

Proprietates causarum.

1. Multæ sunt ejusdem non adventitiæ causæ, ut, *statua statuaris & es.*

2. Quædam sunt, quæ mutuo sibi causam dant & afferunt, ut, *sanitas est causa deambulationis, & deambulatio causa sanitatis.*

3. Idem causa est contrariorum effectuum, ut, *sol indurat lutum, & emollit ceram.*

Divisiones causarum.

1. Causarum alia est prior, alia est posterior, ut, *medicus & artifex.*

C 5

2. Causæ

2. *Causarum alia sunt causæ per se, alia per accidens, ut, statuarius & musicus respectu statuæ.*

3. *Causarum alia sunt causæ actu, alia potentiâ, ut, edificans & edificator.*

4. *Causarum alia dicuntur ut conjunctæ, alia, ut simplices, Conjunctæ, ut, Polycletus statuarius; simplices, ut, statuarius: item: polycletus.*

Divisiones ex cap. 5 lib 2.

1. *Eorum quæ fiunt, alia semper eodem modo fiunt alia plerumque, alia præter hæc. Exemplum primi membri, ut, quod nocti dies succedat, 2. ut, quod homo nascatur cum duobus oculis. 3. ut, quod fodiens sepulchrum inveniatur thesaurum.*

2. *Eorum quæ fiunt, partim aliò referuntur, partim non referuntur. Exemplum prioris membri, ut, deambulatio ob sanitatem suscepta. Posterioris, ut, inconsideratus motus digitorum.*

3. *Eorum, quæ aliò referuntur, alia ratione fiunt, alia naturâ. Exemplum prioris membri, ut, deambulatio ob sanitatem suscepta. Posterioris, ut, motus terræ deorsum.*

Definitio fortune.

Fortuna est causa per accidens in iis rebus, quæ ab animi iudicio proficiscuntur, & rarò fiunt, ut, fodiens respectu inventionis thesauri.

Definitio eius quod est frustra.

Frustra dicitur fieri, cum id, quod alterius gratiâ fieri solet, non illius fit gratiâ, ut, si deambules ad consequendam sanitatem, nec eam consequaris.

Definitio monstri.

Monstrum est individuum animatum, habens

bens à natura notabilem deformitatem toti speciei extraneam, ut, *homo biceps*.

Hypotheses ex cap. 1. lib. 3.

1. Est aliquid, quod revera est tantum, aliud quod esse potest, simulq; re ipsa est. Exemplum prioris membri, ut, *calidum ut quatuor*. Posterioris, ut, *calidum ut octo*.

2. In ijs quæ cum aliquo conferuntur, partim ex elatione & submissione dicuntur, partim ex efficientia & perpeffione, unôq; nomine ex eo quod movet, & ex eo quod movetur. Exemplū primi mēbri, ut *duplum & dimidium*: secundi, ut, *calefacere & caleferi*, tertij, ut, *projcere & projci*.

3. Motus sine rebus extare nullo modo potest.

4. Vnumquodque eorum in quibus est motus, duobus modis dicitur. Vt, *in substantia, forma & privatio, in qualitate album & nigrum, &c.*

Definitio motus.

Motus est actus ejus, quod esse potest, qua ex parte eam vim habet. Vt, *ambulatio, calefactio*.

Acceptiones infiniti.

1. Id dicitur infinitum, quod defectu quantitatis pertransiri non potest. Vt, *punctum*.

2. Quod ob nimiam quantitatem pertransiri non potest, ut, *aër infinitus si esset*.

3. Quod & si possit absolute, vix tamē ratione magnitudinis potest pertrāsi. Vt, *ambitus terra*.

4. Quod natura sua habere potest, non tamen habet exitum aut terminum. Vt, *circulus*.

5. Quod infinitum est potentiâ. Vt, *continuum*.

Divisio infiniti potentiâ.

Inf-

Infinītū potentiā est triplex: infinitū additione. Vt, *numerus*: infinitum detractio. Vt, *linea*, infinitum utroque modo, ut, *tempus*.

Definitio infiniti.

Infinītum est, cuius semper aliquid extra, ii qui ratione quantitatis sumpserint, accipere possunt. Vt, *linea infinita si daretur*.

Divisio loci.

Locus, alius est communis, alius proprius.

Locus communis est, qui omnia corpora ambit. vt, *superficies concava cæli*.

Locus proprius est, qui primus ambit. vt, *superficies concava vasis, respectu vini in eo contenti*.

Proprietates loci.

1. Loc^o ambit id, cui^o est loc^o nec aliquid est rei
2. Locus proprius nec major est, nec minor locato.
3. Locus non à quaque re deseritur, tamen se jungi potest.
4. In omni loco est supra & infra.
5. Omne corpus, naturā ad locum suæ naturæ accommodatum fertur, in eoque quiescit.
6. Locus est immobilis.

Definitio loci.

Locus est prima ejus, quod circumfusum est extremitas, quæ moveri potest. vt, *superficies concava vasis respectu vini*.

Definitio vacui.

Vacuum est locus carens corpore. vt, *superficies concava vasis. si nullum corpus in eo esset*.

Definitio temporis.

Tem-

Tempus est numerus motus superioris & consequentis. ut, *hora, dies, &c.*

Proprietates temporis.

1. Tempus minimum numero est, magnitudine non est.

2. Tempus velox & tardū non dicitur, multum verò & paucum, longum & breve dicitur.

3. Tempus ubiq; simul idem est: quod autem prius & posterius sit, non item.

4. Ut iterum atque tertio motus unum & idem esse potest, sic etiam tempus.

5. Non solum motum tempore metimur, sed etiam tempus motu.

Divisiones ex cap. 1. lib. 5.

1. Omne quod movetur, partim movetur per aliud adventitiaque vi, partim quod illius aliquid movetur, partim quia idem primum movetur. Exemplum primi membri, ut, *musicus ambulat*: secundi: ut, *homo sanatur, quando sanatur oculus*, tertij ut, *homo ambulat*.

2. Eorum quæ movent aliud per aliud alienaq; vi movet, aliud parte, aliud primo motum affert. Exemplum primi membri, ut, *musicus edificat*: secundi, ut, *Socrates percutit, quia manu percutit*: tertij, ut, *medicus curat*.

3. Terminorum ad quos est motus, alius est per aliud, alius per partem, alius per se primū.

Exemplum primi membri, ut, *calor respectu calefactionis*, si forte ex calore inducto mutetur calor, secundi, ut, *sanitas hominis, respectu sanationis oculi*, tertij, ut, *calor respectu calefactionis*.

Divi-

Divisio eorum quæ mutantur.

Eorum quæ mutantur, aliud ex subiecto in subiectum, mutatur aliud ex non subiecto in non subiectum, aliud ex non subiecto, in subiectum, aliud ex subiecto in non subiectum. Exemplum primi membri, ut, *cum ex albo fit nigrum*, secundi, ut, *ex non nigro non album*, tertij, ut, *ex non homine homo*, quarti, ut, *ex homine non homo*.

Definitio motus physici & divisio.

Motus Physicus est mutatio sensibilis, & successiva inter terminos contrarios vel medios, ut, *calesfactio, dealbatio, &c.*

Tria sunt genera motus Physici, accretio vel decretio, alteratio, motus localis.

Quid simul, Tangere, &c.

Simul esse dicuntur, quæ in uno primo loco sunt, ut, *albedo & dulcedo in lacte*.

Separatim esse dicuntur, quæ sunt in diversis primis locis, ut, *Ioannes & Petrus, &c.*

Tangere se dicuntur ea quorum conjunctæ sunt extremitates, ut, *aqua & aër*.

Medium est id, quod prius pervenire solitum est ad id, quod movetur, aut mutatur, quâ ad id ultimû, in quod natura mutatur, id quod continenter mutatur aut movetur, ut, *inter ignem aut terram medium est aër*.

Continenter movetur id, quod nihil aut certè paululum rei interrumpit, non temporis; sed rei in qua movetur, ut, *Cum post primam fidium chordam, mox pulsatur ultima*.

Deinceps sequitur id, quod principiû sequitur.

tur, cum nihil interjectum sit inter illa exijs, quæ in eodem genere sunt, ut. *una domus sequitur deinceps alteram.*

Cohærens dicitur, quod & deinceps sequitur, & præterea contingit, ut, *domus alteram sequens, eadêmque contigua.*

Continuatum dicitur aliquid cum utriusq; eorû, quæ inter se apta sunt, & se contingunt, una eadêmq; sit extremitas. Ut, *una pars lineæ est alteri continuata.* *Divisio uniatatis motus.*

Triplex est unitas & diversitas motus, generica, specifica, numerica.

Motus unius generis est, qui tendit ad terminum unius prædicamenti, ut, *motus sursum, & motus deorsum.*

Mot^o uni^o speciei est, cû & uni^o est generis, & individua specie cõtinètur, ut, *hæc & illa dealbatio.*

Motus unus numero est, qui in eodem numero subjecto, continuo tempore tendit ad eundem numero terminum. ut, *una calefactio.*

Definitio motuum contrariorum.

Motus contrarij dicuntur, qui tendunt ad terminos contrarios. ut, *calefactio & frige factio.*

Definitio continui.

Continuum est, quod dividuum est in ea, quæ semper dividi possunt, ut, *linea.*

EX LIBRIS DE COELO.

Definitio continui & divisio.

Continuû est, quod dividuû est in ea, quæ semper & infinitè dividi possunt, ut, *linea.*

Dividitur in tres species, lineam, superficiem & corpus.

Linea

Linea est magnitudo, quæ in unū dividi potest.

Superficies est magnitudo, quæ in duo dividi potest.—

1. Corpus est magnitudo, quæ in tria dividi potest.

2. Corpus est id, quod omni ex parte secari potest. *Hypotheses ex cap. 2. ex lib. 1.*

1. Omnia corpora & magnitudines quæ naturâ constât, per se loco moveri posse dicimus.

2. Omnis locus, quod per locum quid movetur, aut rectus est, aut in orbem circumque fertur, aut ex his mixtus & concretus est.

3. Unicuique simplicium corporum natura unum motum attribuit.

Divisio motus simplicis.

Motus simplex dividitur in circularé & rectū.

Motus circularis est, qui circum medium volvitur, ut, *motus cœli.*

Motus rectus est, qui in sublime deorsumque fertur, ut, *motus terræ & centrum.*

Divisio motus recti.

Motus rectus duplex est, motus sursum, & motus deorsum. (*tus naturalis ignis.*)

Motus sursum est, qui à medio fertur, ut, *mo-*

Motus deorsum est, qui in medium fertur, ut, *motus naturalis terræ.*

Definitio corporis simplicis.

Corpus simplex est, quod principium motus habet naturâ, ut, *ignis.*

Definitio ones *gravis & levis, gravissimi & levissimi.*

Grave est, quod naturæ vi ad modum movetur, ut, *terra.*

Leve

Leve est, quod naturæ vi à medio movetur,
ut, *ignis*.

Gravissimum est, quod omnibus, quæ deor-
sum feruntur substernitur, ut, *terra*.

Levissimum est, quod omnibus, quæ supera
capessunt, extat & eminent, ut, *ignis*.

Hypotheses ex c. 8 lib 1. (râ suâ.

1. Omnia quiescūt & moventur, tū vi, tum natu-
2. In quo loco non vi quiescunt, in eū naturâ fe-
runtur: & in quē feruntur, in eo etiā manent: in
quo autem vi manent, in eum etiā vi feruntur:
& in quem vi feruntur, in eo quoque manent.
3. Si quis motus violētus sit, naturalis erit con-
trarius. *Definitio defatigationis.*

Defatigatio est diminutio potentix activæ &
cognitivæ per diurnam actionem, reparabi-
lis tamen per quietem,

Differentia positionum, earumq; definitio.

Differentiæ positionum sunt sex, superum &
inferum, dextrum, sinistrum, ante & retrò.

1. Superū est pars, qua sumitur alimentū. Vt, *os*.
 2. Superū est, unde mot⁹ proficiscitur. Vt, *caput*.
- Inferum est pars supero opposita.

1. Dextrum est pars, in qua plus virium est ad
movendum.

2. Dextrum est, à quo motus proficiscitur.

Sinistrum est pars dextro opposita.

1. Ante est pars, in qua sensus insunt. Vt, *facies*.
2. Ante est id, quo motus fertur. Vt, *facies*.

Retrò est pars anteriori opposita.

Quomodo illæ differentix celo a signanda.

Dextrum cœli oriens, ubi dormis Phœbe si-
nistrum. D Ante

Ante dies medius, gelidus septentrio retro.
 Arcticus est infra supraq; antarcticus extat.
 Hæc cadit in primū reliquis contraria cælis.
 Est facies, servante locum post ante priorem.

Definitio stelle.

Stella est densior pars sui orbis. Vt, *Mercurius.*

Definitio elementi.

Elementū est id, in quod cætera corpora dividuntur, cū potestate in fit, vel re ipsa: ipsum autē in ea, quæ specie differunt, dividi nō potest, ut,

EX LIBRIS DE ORTV. (ignis.)

Definitio alterationis.

Alteratio est, cum id quod subjectū est, quod idē sensus movet, remanens, suas quæ contrariæ aut his interjectæ sint, mutat affectiones. Vt, *calesfactio.*

Definitio generationis.

Generatio est, cum totum mutatur, nec manet aliquid, quod sub sensum cadat, ut idem subjectum. Vt, *productio igni ex aëre.*

Definitio nutritionis.

Nutritio est conversio alimenti in substantiā aliti, facta ab anima virtute caloris naturalis, ut fiat restauratio ejus, quod absumi cæperat.

Definitio accretionis.

Accretio est motus ab animā factus, quo vivens secundum omnes partes, certa proportionem, majorem acquirit quantitatem.

Proprietates accretionis.

1. Id quod augetur, idem manet ante & post accretionem.

2. Accretio fit alicujus accessione; decrectio decessione.

3. Ejus

3. Eius quod augetur, quælibet pars augetur,
& ejus quod decrefcit quælibet pars decrefcit.

Proprietates alimenti.

Alimentum debet eſſe actu diſſimile viven-
ti, ſed potentiâ ſimile.

Proprietates agentis & patientis. (eſt.

1. Patiens tale eſſe poteſt, quale agens reiſa
2. Patiens omni ex parte pati aptum eſt.
3. Patiens magis vel minus pati aptum eſt,
hoc ipſo, quod tale eſt magis vel minus.
4. Quod copulatum eſt in rebus ſingulis, u-
nûmq; eſt, patibilem naturam non habet.
5. Patibilem etiam naturam non habent, quæ
non tangunt, nec inter ſe, nec alia, quæ aptam
naturam habent ad faciendum, & ferendum.

Deſinitio mixtionis.

Mixtio eſt eorum, quæ inter ſe temperari
poſſunt commutatorum unio.

Deſinitiones qualitatum primarum.

Calidum eſt, quod ea cogit, quæ ſunt ejus-
dem generis.

Frigidum eſt id quod cogit, & cogerit tam
ea, quæ ſunt ejusdem generis, quàm quæ alieni.

Humidû dicitur, quod determinationis ſuæ eſt
expers, cû facile alieno termino coërceri poſſit.

Siccum eſt, quod ſuo fine facile coërcetur &
concluditur, non facilè autem alieno.

Proprietates elementorum.

1. Ignis nō eſt ſimplex, nec aër, nec ullû, alio-
rum elementorum; ſed concreta atq; confuſa.

2. Ignis vis eſt major caloris, ut glacies fri-
goris.

3. Quatuor elementorum duo sunt fursum, & duo deorsum.

4. Extrema elementa sunt maximè sincera, media autem magis permixta.

5. Vtraque utrisque contraria sunt.

Cum quatuor sint qualitates Primæ, una in quoque reperitur.

EX LIB. METEOROLOGICORVM.

Definitio exhalationis & vaporis.

EXhalatio est spiritus calidus & siccus, qui è terra vel terreo corpore educitur.

Vapor est spiritus calidus & humidus, qui ex aqua vel aqueo corpore educitur.

Definitiones meteororum ignitorum.

1. Flamma (*sive fax*) est meteorum ignitum æqualiter longum & latum, speciem flammæ sive facis referens.

2. Torris (*sive tæda*) est meteorum ignitum magis longum quàm latum, quod successivè inflammatur, speciem torris sive tædæ referens.

3. Candelâ (*sive lampas*) est meteorum ignitum, suâ figurâ, & luce, candelæ, sive lampadis speciem referens.

4. Lancea (*sive trabs ardens, iaculum ignitum facis*) est meteorum ignitum, sua figura, speciem lanceæ referens.

5. Capra saltans est meteorum ignitum, magis longum quàm latum, speciem capræ saltantis referens.

6. Stella cadens, ascendens, discurrens, est

mete-

meteorum ignitum speciem stellæ cadendis, ascendentis, discurrentis referens.

7. Ignis perpendicularis est meteorû ignitû, perpendiculi vel pyramidis speciem referens.

8. Ignis fervus est meteorum ignitum, in infima aëris regione incensum, motum habens inconstantem.

9. Ignis lambens est meteorum ignitum, quod per aërem dispersum solet interdum júbis equorum adhærere.

10. Draco volans est meteorum ignitum draconis volantis speciem referens.

11. Castor, Pollux, Helena sût meteora ignita, in infima aëris regione incensa, quæ in mari apparêtia subinde malis & antefiis navium adhærêt

12. Cometa est meteorû ignitû, in suprema aëris regione incensû, magnæ stellæ speciẽ referens.

13. Fulgur est exhalatio in nubẽ accensa.

14. Fulmen est exhalatio accensa à nube magno impetu erumpens.

15. Tonitru est sonus vehemens, proveniens ex collisione exhalationis nubẽ inclusæ cum lateribus nubis, vel ex nubis effractione.

16. Circulus lacteus est lucidus & albus circulus, qui seréis noctib⁹ apparet, speciẽ circuli lactei referens.

Definitiones Meteororum.

2. Pluvia est nubes in aquam soluta. (tas.

3. Nebula est nubis in aquã resoluta superflui-

4. Nix est nubes congelata priusquam in aquã vertatur, per floccus descendens.

5. Grando est pluvia in aëre congelata.

6. Glacies est aqua congelata.

7. Ros est vapor subtilis & tenuis, in infima aëris regione, in aquam conversus.

Pruina est vapor subtilis & tenuis in infima aëris regione, priusquam in aquam resolvatur congelatus.

Definitiones meteororum terrestrium.

1. Terræ motus est concussio terræ, proveniens ab exhalatione inclusa & exitū quærente.

2. Ventus est multitudo quædam sicci habitus, qui ex terra excitatur, & circū eam impellitur.

Divisio ventorum. (terales.

Dividuntur primò venti in cardinales & laterales. Venti cardinales sunt, qui ab aliquo ex quatuor mundi cardinibus spirant.

Venti cardinales sunt quatuor: Boreas, Austro, Eurus, Zephyrus. (jecti.

Venti laterales sunt venti cardinalibus interdistantes. Dividuntur secundò venti in generales & provinciales.

Venti generales sunt, qui ubique spirant.

Venti provinciales sunt, qui in certis tantum provinciis spirant.

Dividuntur tertio in ordinarios, & turbulentos sive tempestates.

Tempesta triplex, Ecnephias, Typhon, Prester.

Ecnephias est copiosa & crassa exhalatio nube inclusa, quæ ipsam disrumpens, summa vi ad terram fertur sine inflammatione.

Typhon est tenuior & subtilior exhalatio, quæ

quæ per angustû nubis foramen erumpens, deorsum in gyrum rotata fertur.

Prester est typhon incensus.

Definitiones meteororum aëreorum, sive phantasmatum in aëre apparentium.

Phâtaσμα est color in aëre apparens nō ver^o.

1. Vorago est exhalatio sursum rapta, ubique lumine perfusa speciem voraginis referens. Eodem modo definiendus est hiatus, & dolium.

2. Halo (*sive corona*) est circulus albus sub astro aliquo in nube seu vapore apparentes.

3. Virgæ (*sive bacilli*) sunt phantasmata speciem virgarum referens.

4. Paro jusest Solis imago in densa nube.

5. Iris est arcus multicolor soli oppositus, in rorida nube, ex radiorum solarium reflectione proveniens.

EX LIBRIS DE ANIMA.

Definitiones animæ.

1. Anima est actus primus corporis Origani potentiâ vitam habentis.

2. Anima est id, quo primûm & vivimus, & sentimus, & ratiocinamur.

Definitio generationis propriæ viventibus.

Generatio est processio viventis à principio vitæ conjuncto, secundûm rationem similitudinis, saltem specie infima, ut, generatio equi.

Definitio perlucidi sive perspicui.

Perlucidum est, quod sensum oculorum illud quidem movet, non tamen per se ac vi sua eum movet, sed ut alieni coloris,

*anima est. Et collabitur quando de
corpore nostro dicitur. Libebit etiam
rationem esse dicitur.*

Definitio luminis.

Lumen est actus & perfectiori perlucidæ, qua ex parte perlucida est.

1. Color est id, quod vim habet movendi, quod re ipsa perlucidum est.
2. Color est extremitas rei perlucidæ in corpore certo & terminato.

Definitio soni.

Sonus est, cum alicujus ex alio atque in alio actus elicitur.

Definitio Echus.

Echo est, cū ab aëre, qui unus idēmq; manet per vas, quod extremis partibus dissipati sonum prohibeat, rursus ac quasi pila repellitur.

Definitio vocis.

Vox est pulsus respirati aëris, qui ab ea anima, qua in his partibus inest, ad arteriam efficitur.

Definitio odoris.

Odor est qualitas ex primarū cōmitione resultans, dominante sicco & calido, atq; olfactū movens.

Definitio saporis.

Sapor est affectio in humido aqueo, facta è sicco terrestri, & calore decoquēte gustatū, qui in potentia est, ad actum per alterationē deducens.

Definitio sensibilibium.

Sensibilibium aliud proprium, aliud cōmune.

Sensibile proprium est, quod unico sensu exteriori percipitur, ut, color.

Sensibile commune est, quod pluribus sensibus exterioribus percipiatur, ut, metus.

Sensibilia cōmunia ab Aristotele quinq; numerantur, motus, quies, numerus, figura, magnitudo.

Lelt.

F I N I S.

10551-1965

o
t
r.
r.
u
e
u
r

[Faint, illegible handwritten scribbles]

600992

753009